



Cc 368

Maier, Johann

(aus Frankenstein)

3 Tl. u. 1 Bde.

OPERV M
IOHANNIS MAIORIS
IOACHIMI
PARS SECVNDA.



VVITEBERGAE
Excudebant Clemens Schleich & An-
tonius Schöne.

ANNO M. D. LXXIIII.

OPERN
JOHANNIS CHRISTOPH
BACH
PART. 2. STUCK



WITTENBERG
Verlagsbuchhandlung
Leipzig
L. N. O. M. D. C. C. X. I. I.



OPERV M IOHANNIS
MAIORIS IOA-
CHIMI

PARS SECVNDA.

AGON CHRISTI.

*Imirum hos nobis casus, hæc fata
canebat*

N *Christe tua, & Solyma luctus su-
per vrbe futuos
Sacharias vates, docuit post exi-
tus ingens,*

*Cùm turba aspiceret rorantem sanguine & vnda
Transuerso in ligno, plautasque et vtrosq; lacertos
Distentum, & magna Patrem cum voce vocantẽ,
Ne verò Deus, alme Deus, ne defice Nato,
Desertus ne adeò tibi, nec mea vulnera curas,
Nil nostri miserere, mori sed denique cogis?
Et nati casum hunc oculis Pater aspicias æquis?
Omnia compleui, id rebus nunc defuit vnum,
Fata vocant, eia extremum Pater excipe flatum.*

*Tum verò Solymam incendebant luctibus vrbe
Matres atque viri: resonabat planctibus æther:
Non aliter quàm cum duri in certamine Martis
Iosias tristem oppeteret de vulnere mortem*

a ij

Inter

A G O N

Inter et Adremmon, tuaque inter rura Megiddon,
Flebant ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Lamentis, gemituque, & fœminco vlulatu
Castra fremunt, scindunt vestes, lamiantque capillos.

Hic verò exuperat dolor, & longè altior exit,
Dum causas iræ ingentes in crimina nostra
Mente agitant, iræ, quæ tam caput extulit altè,
Ut mortem Nati vnigenæ precium esse reatus
Ipse pater vellet, nulloque à sanguine sacro
Placari, nisi Christe tuo, quo denique fuso
Iustitiam ille suam, rigidam, immotamque per auct
Expleri cuperet, factisque & morte rependi
Debita neglectæ, Nati que cruore redemptos
Non alio precio Deus inferiore volebat.

Quin agite ac altè perpendite, quàm dolor ingès
Tentavit Dominum, & luctam cum corde peregit
Ut sese abiectum vocat, & sine luce relictum.
Stabat acerbà gemens Mater, Soror additur vnà
Spectatrix fati, tantarum & conscia rerum
Corda gerunt, norunt quid agatur funere in illo
Languentes desiderio pro sorte futura,
Et Nati reditus, expectatosque triumphos
Attonitis inhiant animis, certamque secant spem:
Imo in corde tamen tantus dolor aestuat illis,
Penè omnis fidei scintilla vt victa fatiscat.

Quin & mæsta suum ostendit Natura dolorem
Extincto genitore suo, Sol ordine verso

Officium

C H R I S T I.

Officium mundo negat, & se subtrahit orbi,
Datque animum in luctus, & tanti conscia fati
Terra tremit, rumpitque sinus, & murmure tristi
Pertentat mundum, penitus vi deinde dehiscens
Infernas aperit sedes, & functa sepulcris
Corpora sancta Patrum desuetam emittit ad aurã.

Nō equidem hæc sine mēte Dei, sine numine fiūt,
Dum nos ira Dei doceat pro labe dolere,
Quam non admissam dum tu pie Christe luebas,
Aspera saxa tuo doluerunt fissa dolore,
Nos saxis gerere his corda asperiora, nefandū est.

Sed iuuat hanc propius fatalem inquirere luctã
Qua primū iratus Pater, & Lex ardua Patris,
Culpaque mortalis, tortorque immanis Auernj,
Fædaque Mors dirum intendens lethaliter ictum
Se Christo obijciunt hostes, præsensque minantur
Exitium: huic tristi correpunt membra pauore,
Sanguineusque fluit toto de corpore sudor.

Nox erat, et terras animantia fessa per omnes
Depositis curis reparabant membra quiete:
Ecce Dei Natus sese nocturnus agebat
Cydronis ad riuum, & mortis iam fata propinquæ
Voluebat, sanctoque viam sermone leuabat,
Palantes socij fuso vt Ductore ferentur
In diuersa via, cætu, numeroque soluto,
Quos victor superas vt primū surget ad auras
Agmine composito coget Galilæa per arua:

a iij

Atque

A G O N

Atque ita Sachariae Vatis praedicta recenset.

Ventum erat ad pingui consertum Pallade mon-
Sub cuius radice virens sese extulit hortus (tem
Delicias Domini, qua luce & nocte precatum
Assidue veniebat: ibi hunc pro tegmine inibat,
Nam nec qua posito ferret se vertice habebat.

Omen inest rebus: Si leta Pallade foetum
Intramus montem, pacataque crimine mens est,
Et flatus sacer, ipsum oleum quod pectora sanat,
Fulcit ope infirmos: tum rectis vota feruntur
Passibus, & caeli nubes, & sidera tranant.

Interea socios octo in conualle relinquit
Anxius, ipse tribus graditur comitatus in hortum,
Qui rutilos vultus, & maiestatis honorem
Spectarant in monte sacro, nunc sortis eosdem
Afflictae testes, & vilis imaginis optat.

Ergo horti in medio ingreditur sua tristia fata,
Sicut Adam in riuo quondam nos perdidit horto.
Multa sed hic passus, dum patris sustinet iram,
Irarum & fluctus in sese transtulit omnes.

Namque quiescenti similis, penitusque latenti
Maestas Verbi diam non exeruit vim

Ad tempus, pressisque latens sese abdidit armis.

Hinc irae sensu, & nostrae praepondere culpa

Soluitur in luctus, & mens formidine tristi

Contrahitur, promptaque animam caro strangulat agra,

Genua labant, et corde cruor per membra repulsus

In gut-

C H R I S T I.

In guttas resolutus abit, tum pectore sensus
Vertuntur varij, nec vim vitare potestas,
Cunctaturque metu, lethumque instare tremiscit.
Occurrunt diræ facies, inimicaque culpæ
Numina magna Dei: mors plurima obambulat ar-
Ora modis pallent miris, stant verba palato, (tus,
Arrectæque horrore comæ, cor liquitur æstu,
Intus & assiduo curarum tunditur ictu,
Exterius quatit ossa tremor, vigor omnis in auras
Exhalat, mors atra caua circumuolat umbra.
Sternitur hinc toto proiectus corpore terræ
Deficiente animo: casu tremit excita tellus,
Semianimesque micant artus, collapsaque mēbra.
Irarū hunc fluctus omnes, ceu magnus aquæ mons
Magna mole premunt, hic omnia sustinet vnus
Crimina, suppliciumque suo cum sanguine pendit.

Continuò ad sese socios vocat, atque ita fatur:
In me omnis collapsa animæ vis, tristis vbique
Luctus, vbique pavor, & plurima mortis imago
Quæ luctantē animam, nexosque resolveret artus,
Ni vires fors omnipotens daret, abditaque intus
Stirps mihi mortalem sustentet diua figuram.

Sed vos qui mecum casus mansistis in omnes,
Durate, & ne me, ne in tanta pericula missum
Linqute me solum, aut vestros subducite vultus,
Orandum est, ne sollicitis spes excidat omnis
Tentatura animum vobis, capturaque mentes.

A G O N

Qui miser est, non ille hominū consortia vitet,
Damna feret leuius fido quæ credit amico.

Hæc effatus, & in verbo vestigia vertens
Euolat à socijs, & flexo poplite fertur
Ad terram, fundensque preces terræ adplicat ora,
Tales inde suo rumpebat pectore questus:
Eripe me genitor, finemque impone labori,
Ærumnæ exhaustum satis est, quin protinus aufer
Si fas est genitor, quæ deinde pericula restant.

Ipsè dehinc ab humo surgit, sociosque reuifit,
Et Petrum aggreditur, qui fortè ingentia membra
Fusus humi, toto proflabat pectore somnum,
Petre, refert, potes hoc sub casu ducere somnos,
Non agere excubias noctem non amplius vnā?
Non hoc ista sibi poscit nunc somnia tempus,
Cernis qui miserum circumstet turba malorum?
At non ipse animi infelix, non lumine somnos
Accipio, ingeminant curæ, rursusque resurgens
Ira Dei immeritum torquet: nec plura locutus
Defecit luctu, & terram prono ore memordit.
Atque illi in media lucta celer Ales ab alto
Occurrit cælo, & dictis mæstum erigit vltro.
Nec mora, nec requies, rursum velut agmine factō
Mors audet cum gente Erebi, nigroque Tyranno
In Christū glomerare manum, & concurrere bello.

Verus at Israël lucta congressus acerba
Stat mole opposita, & manet indeiectus ad iram
Horribi-

CHRISTI.

Horribilem patris aetherei, vincitque precando,
Fidendo & victor spolia ampla ex hoste reportat.

Quis potis est tantam pollenti pectore luctam
Fingere pro rerum gravitate, & pondere facti?
Mortis amariciem saltem contingimus ipsi
Labrorum tenuis, ille omnem perpotat abunde.

At guttae indicium fecerunt triste doloris,
Sanguineae guttae monumenta ingentia luctae
Ingentis, luctae, qua demum victor ad auras
Euasit superas, quanquam cor tabuit hausto
Humore, aut testae arentis, vel graminis instar.

Iamq; reuersus erat, somno videt ecce sepultos
Denuò, & alloquitur: Nam quae vos tanta resoluit
Deinde quies, tanta rerum iam instante ruina
Turbine correptus quando ferar ad vada lethi?
Surgite, & hic mecum votis pia neſcite vota,
Et procumbite humi prostrati, & tendite palmas,
Hostis adest, eia, date vota, & fidite verbo,
Neu vinclis trepidate meis, ego victor Auernum
Eruam, & aequa solo fumantia tartara ponam.
Tertia lux simul os terris ostendet honestum
Ingentes stygiae spectabit caedis acervos.
Fidite ne pedibus, quanquam facienda per hostes
Est via, & excipient manibus, atque in trabe figet,
Non omnis consumpta salus, victoria restat,
Arma parate animis, & spe deducite bellum:

O Patre nate Deo patrium qui Christe furorẽ

a v In.

PARENTALIA.

In te vertisti, nos vt clementia rursus
Excipiat, faueatque reis, iramque parentis
Supplicibus superas votis, tuaque alta trophæa
Nostra facis: medio tu fessis turbine lethi
Affulge, vt tenebris nigrescere singula circum
Incipiunt, conditque natantia lumina somnus.
Aspera tu pro me succede in prælia lethi,
Vicisti mortem, & victam sine acumine teli
Viterius videre, tua est victoria mortis.

PARENTALIA ANNIVERSA-
RIA TERTIO FACTA REVEREN-
dis & clarissimis viris D. Martino
Luthero, & D. Philippo Me-
lanthoni, Vitebergæ 19.
Aprilis 1563.

Terminus exactis completur mensibus annus
T Ex quo reliquias, & parui membra Philippi
Condidimus terris, & iusta peregrimus um-
Et nunc ossa locū decorant, semperq; recenti (bris,
Concursu implentur pulcri vacua atria templi
Qua simulacra manent viuos referentia vultus
In tabula, spiratque viri viuum instar in illa.
Quò non ars penetrat? pictoribus, atque Poëtis
Has dotes rerum fictor dedit, arte magistra
Exprimere

PARENTALIA.

Exprimere affectus, & veros reddere vultus:
Sed corpus pictura notat, mentemque poësis.
Nec terris ars vlla Deo cognatior ipsi est,
Qui se fictorem cœli, terræque vocari
Maluit, & nostra deducere nomen ab arte,
Quæ genio pollens, afflataque numine sancto
E nihilo effingit formam, & producit in auras.

Nunc ergò ad cineres, & sancti busta Philippi
Adsumus, & quanquã lacrymæ super ora profusæ
Impediunt vocem, turbataque funere mens est:
Annua iusta tamen, solennesque ordine pompas
Exequimur, munusque iterum pietatis acerbum
Manibus & cineri, si qua est ea gloria, reddo.
Fortunati ambo, si quid pia carmina possunt,
Tuque, comesque tuus, quo cum felicibus æquæ
Doctrinæ auspicijs fida in statione manebas.
Nulla dies neque te, neque fortis facta Luteri
Surripiet venienti ævo, tibi semper apud me
Munera erunt carmẽ, conscriptę et carmine laudes.
Vos primùm ante orbis finem, velut edita cœlo
Lumina, labentem in tenebras, & crimina mundiẽ
Restituisstis, iterque istud mortalibus ægris
Ignotum, verbi luce ostendistis Olympo:
Fatalesque viri manifesto numine adaçti
Doctrinam tenebris fœdatam, & sorde Papatus
In tam tranquillo, & tam clara in luce locastis.
Ergò nunc etiam per magnas didita gentes

Dulcia

PARENTALIA.

Dulcia permulcent animos solatia verbi.
Nec mentita aris veneramur Numina nostris
Relligione patrum, aut muto spectacula gestu
Matris Eleusinae ritu, celebramus hiantes
Prostrati ad Cererem sine lege, sine ordine Christi
Vera namque fide vero seruamus in vsu
Olim quæ nobis digressu sancta supremo
Instituit, mortisque suæ monumenta reliquit.
Vana superstitio quæ mundum impleuerat omnem
Sordibus errorum varijs, compressa resedit
Iustifica superante fide, quæ munera Christi
Donata in verbo sibi propria vendicat vltro.
Et nunc per terrasque omnes, perque vltima mūdij
Regna, sonus verbi fertur rumore secundo,
Et latebras, cæcumque Papæ scelus omne retexit
Vi supera Christus, scelerataque dicta refellit,
Oris & afflatu fundo concussit ab imo
Ausonij regni duo sola ingentia fulcra,
Nempè Sacrum Mystæ, sordesque in cælibe vita.
Sed mihi tu vires iterū, & tua numina Christe
Suffice, cantanti tua verba, tuosque ministros
Inuictum verbo Luterum, & fulmine linguæ,
Et paruum mēbris, magnum sed in arte Philippū,
Qui sanctas artes, nec non tua sancta per orbem
Rite propagârunt victuris nomina chartis.
Da precor hac maneant in relligione nepotes,
Et rectum, verumque colant, iterumque reclusos

Thesau=

PARENTALIA.

Thesauros verbi, sine labe, & sorde reseruent.
In te iunge vno mentes, amor vnus & idem
Omnibus in te sit, labor & tibi seruiat omnis,
Et quaecunq̃ Deus tu munera cuique dedisti,
Ritè tuam in laudem vertat, populique salutem.
Et quos post obitum, tantorum & fata virorum
Esse super terris voluisti, & luce potiri
Ætherca, nec adhuc inuisa occumbere morti,
His mitte inuictas mentes, & numine firma,
Hunc vt communi ludum in statione gubernent,
Nec fracti ærumnis, & magna mole fatiscant.

Cùm quondam ante oculos verbū cæleste iaceret
Fædè obscuratum tenebris, & sorde Papatus
Horribili super aspectu mortalibus astans,
Mixtum figmentis Monachorū, hominumq̃ reper-
tum res humanas miserans, regniq̃ ruinā (tis:
Ipse sui, custos verbi, præsesq̃ sacrorum
Patre Deo natus, cum sic implenda ferebant
Malachiæ Vatis diuina, atque abdita dicta,
Antè æui occasum tandem, supremaq̃ fata
Ritè repurgauit verbum cæleste salutis
Voce Lutere tua, doctaq̃ Melanthonis arte,
Quiq̃ue operas æqua præstabant sorte laborum:
Qualis qui fuluum secernit in ignibus aurum,
Et fædam abstergit labem, vitioq̃ue resoluit.
Nam nec Malachiæ vatis præfagia tantum
Omne se referunt ad nati tempora Christi,

PARENTALIA.

In quibus ipse vltro veluti conflavit in igne
Doctrina infectam massam, puramque reliquit
Excocto vitio, & Pharisæa sorde remota:
Sed bis mille anni cum mundi in sorte suprema
Debentur fato Messihæ, vt censet Elias
Tempora dinumerans triplici distincta tenore:
Istud opus fatale Dei, quo sacra repurget,
Ad fines etiam supremos pertinet æui.
Et quia Malachias vates pro more, modoque
Fossorum loquitur, qui quærent æra sub imis
Terrarum latebris, & eunt subter caua montis
Viscera, cadentes argenti, ærisque metalla:
Non vero absimile est, postrema ad secula vatem
Respexisse animo, & casus sensisse futuros
Cum redeat magnum ante diem vir magnus Elias
Sacra Dei reparans fido comitatus Elissa.
Namque Dei imperio excitus fumante Sarepta,
Qua Mansfelda iacet nitidis generosa metallis,
Editus ærias venit Luterus in auras,
Conflatoris agens instar, qui cruda metalla
Ignibus elixans coquit, & labem eluit omnem.
Prætereà ad Rheni ripas qua Bretta patescit,
Nigra, tenax verbi, qua non fecundior vlla
Eruta terra fuit, quales nunc terra ministrat
Ypsensis glebas quæis consueuere lebetes
Formare, & catinos, fragilesue effingere testas
Argenti iniectam massam quibus igne resoluant.
Ergo

PARENTALIA.

Ergò per hunc Vatem, conflatorem ue Luterum,
Et fragili in testa, terra qua facta nigranti est,
Doctrinae vitium excoxit, labemque remouit
Concretam genitor, caelestia verba repurgans.
Nam quid erant aliud fœdi documenta Papatus,
Quam massa argento conflata, auroque pusillo
Illicita, quam rudis æris adhuc pinguedo fatigat
Sulphurea, & multum terrenæ sordis inheret?
Mos remanebat adhuc fluuio mersare salubri
Credentium pueros, & Christo offerre precando:
Litera doctrinae, & vatum monumenta sacrorum
Usque reseruata in tenebris sine honore manebant,
Indestructa tamen, puerique ante ora Parentum
Voce recensabant fidei monumenta, precumque
Quam formam instituit Christus, iussitque teneri,
Et sacri cantus diuinis vsibus apti
Seruati à populo solenni in luce manebant.
Ecce sed huic massæ, crudumque, & inutile plum-
Et cuprei nummi, cultus, & inania sacra (bum,
Libantis Mystæ, confusa in corpore eodem
Doctrinae fuerant, ceu quondam stramine granis,
Atque leues stipulae, & paleæ miscentur inanes.
Illic mixta auro spargebat Cadmia virus
Dicta repertoris quondam de nomine Cadmi
Phœnicum terris quando æs conflabat in igne,
Et socij extincti perierunt tabe veneni
Fortè in aquis mota, quæ torto turbine surgens
Anguis

PARENTALIA.

Anguis ab exemplo, aut torti Typhonis in auras,
Spiramenta animæ præcludit faucibus imis.
Hinc veterum vates hydræ spiramine sæuo
Phœnicis Cadmi socios finxere peremtus.
Hic aderet candens orichalcum, candida terga
Argenti simulans, flauum quod deinde colorem
Præ se fert auri in specie, fallitque tuentes,
Cui nomen fecit Messenidos incola terræ,
Quod tamen æs Cyprii est, cui Cadmia fossa colorẽ
Induit, vnde auro respondet concolor aura.
Quin & Pyromachus, splendens in fronte Pyri-
Intermixtus erat, nec non Galena nitenti (tes
Quæ rutilat squama, Pietas quæ nempè timorem
Suppliciter simulare solet, perfusaque fuco est.
Quin etiam argenti tremula sub imagine viui
Mercurius spirans aderat lethale venenum
Ad se fulua trahens auri speciosa metalla,
Et quas mundus opes magna dititione tenebat:
Sed volat ille fugax quando tentatus in igne est.
Ergo iterum vt possit de sorde & labe veneni
Massa repurgari flammis, iterumque refingi
Sordibus excretis, & denique pura relinqui:
Tum demum ignipotens opera ad fabrilia surgit
Magnanimus Luterus, & in testa æra nigranti
Imposuit, sociumque vocat te doctè Melanthon.
Ocyus incubuere ambo, pariterque laborem
Sortiti, purgantque calenti numine massam.

Tum

PARENTALIA.

Tum crudum fluit æs riuus, atque omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exhalat inutile sulphur,
Et spumæ argenti, quas vrsi stercora dicunt,
Secernuntur, & in media fornace nitescit
Argenti massa, & tandem calor igneus illi
Omnem adimit labem, & partes dissoluit inanes.

His motus signis, atque hæc exempla secutus,
Malachiæ Vatis completa oracula tandem
Auguror, atque æui supremo in fine peracta
Euentus habuisse suos: Quin ipse canebat
Obadias vates, missos fumante Sarepta
Affore, qui cultus, fœdataque sacra repurgent:
Quos non Hesperia extrema de gente profectos
Accipimus, neque fas, sed enim sub simplice sensu
Urbe metallifera missos reor ad iuga montis
Sionij, magni venturos agminis instar,
Et mons ille quidem sancta est Ecclesia Christi.

Exitus ostendit quanto feruore, quibus'ue
Artibus extuderint verbi monumenta sacrati
Sordibus è tantis Papæ, tantisque tenebris
Luterus præstans animi, doctusque Melanthon,
Et pietate pares, & magnæ numine mentis.

Quis potis est igitur verbis æquare disertis
Virtutesque, virosque, & dona insignia mentis?
Quis'ue valet lingua tantùm, qui fingere laudes
Pro meritis horum possit, qui talia nobis
Pectore parta suo, qui tot monumenta dederunt.

b

Nam

PARENTALIA.

Nam sanctis scriptis potuerunt fundere fata
Sanctius, ac multò vera ratione magis, quàm
Pythia, quæ Phœbi tripodas & numina sensit.
Hi sacra in patrias vertère volumina voces
Ut populum vera sub religione tenerent.

O Pietas, cœlo quæ dignè facta rependis
Da sanctis illorum umbris, da pace potiri.
Nos cineri, qui solus honos post funera restat,
Soluimus inferias, non sacræ aspergine lymphæ,
Non Cereris libo, cantatæ ex ore sacrantis,
Sed lacrymis quæ spontè oculis liquuntur amicis,
Pectoribusque scatent gratis, quæ sanguine Chri-
Cõspersit, sanctaq; afflans lustravit ab aura, (stus
His, inquam, lacrymis mentem testamur amicam,
Donaque, virtutesque virum grato ore sonandas
Susplicimus, & quos immensos corpore habebant
Thesauros fragili, veluti duo vitrea vasa
Cœlica sub fragili gestantia pignora massa,
Quæ tandem in cineres resoluta, & clausa sepulcro
Ne fortè intereant, ipsa hac seruantur in vrbe,
Dum redeat satus ille Deo, manesque sepultos
Excibit tumulis, informi & puluere carnis
In morem vitri pellucida corpora finget
Cælestes adhibens vires, ne fracta fatiscant,
Quale vitrum infractum quondam de more metalli
Informans opifex dat munus habere Neroni.
Tum verò hos cum luce noua, membris quæ nouatis
Fulgere

PARENTALIA.

Fulgere cernemus, superùmque assistere mensis
Munera gestantes amaranthi ex flore corollas,
Et superùm Regi pangentes carmine laudes,
Ver vbi perpetuum est, indefessaque chorææ,
Et citharæ reboant cæli per lucida templa,
Tum me carminibus non vincet Thracius Orpheus.
Interea somnos, & in urna perpetuum ver
Optamus cineri ipsorum, & noua gaudia vitæ,
Gaudia non vnquam mixtos habitura dolores.

At vos qui sanctas animas decoratis honore,
Si iuuat has iterum æterna iam in luce videre,
Et dextras dextris coniungere, verbaque verbis
Ante Dei vultus diuino in fœdere amoris :
Cedite ne verbo, nec quæ documenta dederunt
Sancta viri, vestris deponite mentibus vnquam,
Si vel mutanda sedes, si flumina Nili
Quærenda, aut rapidus Cretæ potandus Oaxes.
Quisque suis vitam in studijs colat, & sua curet,
Fata regent cursus, nec cælo vestra feretur
Fama leuis, tanti que abolefcet gratia facti.
Vos quibus eloquium est, & fandi gratia laudem
Concessit linguæ, vestras hic promite vires :
Sic equidem meritis cum vos complexus amore
Et socios operum legeret, fœdusque feriret
Dulcis amicitia: quam vellem hunc æthere in alto
Nunc superare parum, & docta cingente corona
Præfectum studijs teneræ dare iura iuuentæ,

PARENTALIA.

*Et dictis formare animos hoc turbine rerum:
Fata obstant, placidusque viri sopor alligat artus,
Ille quidem ad superos quorum pia sacra ferebat
Successit mente, & viuis per docta feretur
Ora virum. Salve æternum diuine Melanthon
Omnibus est idem sonus, & vox omnibus vna est.
Te cælo meliora manent, te præmia magna
Pro magno ingenio, magnisque laboribus actis
Expectant cælo: ter ego tua funera mæstus
Fleui, ter sanctos decoravi carmine manes,
Sit pietas hæc grata tibi, debere fatemur
Plura, sed officijs tibi respondere vicissim,
Non opis est nostræ, superat merita, atque labores.
Virtutum ne prius mirer, studij ne laborum?
O ingens fama studiorum, ingentior autem
Insolita virtute animi, quæ celsior ibat
Ingenio, quamuis inuictus in artibus esses.
Salve iterum, atq; iterum, diuine et magne Melanthon,
Æternumque vale diuine & magne Melanthon.*

IN ASCENSIONEM CHRISTI E TERRIS IN COELVM.

*Ostquam res Erebi, mortisque euertere regnum
P Morte sua visum Christo, nouiesque ministris
Se confessus erat, scandit iuga Pallade facta
Bethania, & dictis mærentia pectora firmat.*

Continuo

IN ASCENS. CHRISTI.

Continuò ex oculis sublatus corpore in auras
Mortales cætus medio sermone reliquit,
Nubis ab exemplo, quam gens Iudæa secuta cõt
Cum quondam Ægypti fugeret crudelia regna,
Quæ cum se posuit noctu, tum castra quierunt
Composita, & cum sole nouo se rursus in auras
Tolleret, ecce acies omnes se tollere campis,
Accingique viæ, atque iterum migrare necesse est.
Ergò etiam dum se aërias iam tollit ad auras
Dux olim Isacidum, nubes & præuia Christus,
Signat adesse diem socij quo denique migrent,
Et varijs lustrent distinctum gentibus orbem,
Vulgarentque fidem, populi quæ sydera adirent.
His & tunc signis rutilas subuectus in auras
Ingrediturque polo, & caput inter nubila condit
Victor ouans, sancta comitum adplaudente corona
Quos secum excitos consortia reddidit auræ
Mortis in augurium victæ, vitæque futuræ.
Sed nulli comites vllò sunt lumine prensi,
Ne fortè authores sibi gens humana salutis
Audeat in damnis neglecto quærere Christo.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Et belli signum Michaël suspendit ab arce
Sydereæ, & raucis clangoribus impulit auras,
Effususque ruit portis exercitus ales
Compositi numero in turmas, & præmia palmæ
Protendunt longè dextris, & carmina dictant,

b ij victo-

IN ASCENSIONEM

Victoremque orbis, lethique, Erebi que salutant,
Expleri que animū nequeunt, gaudent que tuendo.
Mirantur spoliū, grauidum que ex hostibus axē,
Mirantur pharetras, & truncum mortis acumen,
Atque anguem ferro nexum per colla retorto.
Indulgent omnes operi, pars grandia trudent
Obnixē carpenta humeris, pars vincula tendunt
Ære, & cornipedum vires hortantur equorum,
Et stimulis vrgent, & torto verbere cursus.
Ipsi quadrupedes nisu per maxima anbelo
Desudant spacia, & gemitum dat pondere currus,
Non quali Heliam vectavit pondere ad auras
Nubila tranantem nigri cum turbinis vmbra.

At circum innumeri iuuenes lucentibus alis
Accincti subeunt oneri, linguis que solutis
Sacra canunt, reducem que manu contingere gau-
Ille subit, victi exuias oneratus Auerni, (dent:
Vulnera que illa gerens que propter crimina mundi
Accepit, patrias que iras in crimina mundi.
Tum sese incessu latus ad genitoris alumnus
Sublimem posuit, positus quā semper, & antē
Machina quā mundi cepit digesta figuram,
Sed massam humanam nunc sede locauit Olympi,
Omnia que impleuit vatum prædicta priorum.
Et si quod spacium est, si quæ loca, si quod & intrā,
Aut extrā terras, id complet Numine Christus,
Hic præsens, illic præsens, hīc fortis, & illic,
Et

CHRISTI.

Et quocunque vides Christi sunt omnia plena.

At socij deiecti animis, dum lumine mæsto
Hærent defixi cælo, obtutuq̄ue sequuntur
Iam iam corporeo discessu è limite terræ
Migrantem, & cæli sublimi in sede receptum:
Ecce oratores gemini de gente ministra
Cælicolûm, volucris findentes nubila lapsu,
Corripuere incepta, Quid ô Galilæa virûm vis
Suspicitis cælum, atque oculos per inane leuatis?
Nos testes cælo missi, mox adfore tempus
Cum mundo se iterum manifesto in corpore prodet,
Et lapsas hominum sortes in pristina reddet,
Et facta, & vitas extremo munere functus
Inquiret, iusta suspendens omnia lance.
Et velut Heliam trans æthera vexit apertum
Flammanti curru, & radiantibus intulit astris:
Sic idem simili ducet per nubila pompa
Agmina credentum, patriaq̄ue in sede reponet.
Namque potestates mundique, Erebiq̄ue superbas
Subiecit pedibus, viresq̄ue, animosq̄ue feroces
Deposuit, Mortem tulit, absumpsitq̄ue triumpho,
Ductoremq̄ue ipsum, facies quem dira tegebat
Spirantis colubri, pressum pede clausit abeneis
Compedibus, fractoq̄ue illisit in ossa cerebro
Arduus, & circo spectatum duxit aperto
Magna trophæa ferens, quos dat sua dextera letho,
Et rapta ad superas altè spolia extulit auras

b

iiij

Iam

IN ASCENSIONEM

Iam victo tortore, & iam domitore subacto:
Et magnum per inane volans, dona optima dona
In numerum iacit, & fidos partitur in omnes.

Ex illo celebratus honos, atque annua vota
Exequimur Christo, & tantos gens ægra triumphos
Excipit indulgens fidei, secumque volutat
Hoc Ducis ætherei bellum cum Principe mundi.

Ex quo primus homo persuasus ab angue ruebat
In vetitum, & mentes abductas numine ab alto
Mancipium barathri, prædo in sua iura trahebat,
Formatasque recens diuini ad Numinis instar
Deformabat atrox animas, sæuisque premebat
Imperijs, stygioque nocens damnauerat Orco,
Nec nos obniti tantum, & contendere bello
Sufficimus, superabat enim, totumque tenebat
Infanda ditio orbem, nec in agmine tanto
Cælicolum audebat quisquam se credere pugnae,
Nec bellum finire manu, nec vertere fundo
Regna, potestatemque, iugumque immitis Auerni,
Et regno exigere, & prædas inhibere cruentas,
Et patrum insontes manes emittere ad auras,
Conferre amissum decus, in solidoque locare.
Tum Pater ulterius procedere cædis acervos,
Et sæuire animis Serpentem haud passus acerbis.
Ergò in tergemino sanxit decreta Senatu
Omnipotens genitor, Natumque exciuit, & ultro
Sorte legens mediam personam his destinat ausis,

Quæ

CHRISTI.

Quæ lapsis hominum sese interponere rebus
Audeat, absoluatque iugo, faciatque serena
Luce frui, qui nunc stygia compage tenentur,
Mortem abolet cum morte sua, regemque profundi
Impediat vinclis, & culpam sanguine soluat.
Nempè Deus Natum, miserans incommoda nostra,
Illicò primorum demisit ad ora parentum
Destructorem operum Satanae, & virosa premen-
Colla pede, atque imo vertentè tartara fundo. (tem
Nam iuxta genitorem astans ab origine mundi
Dat sese in medium, & munus saluantis obibat
Hic opifer mundi diæ sub nomine stirpis.
Hic erat ille Ales, duris qui in rebus Adamo
Adfuit, Isacidenque senem clade eruit omni,
Et patrem Abramum fatis eduxit iniquis,
Immunemque Lothum accensa comitatus ab vrbe
Expedit, dat flamma viam, atque innoxia cedit.
Excussumque bonis, lacerumque in corpore Iobum
Restituit sorti antiquæ. Quin ipse per arua
Puluerulenta Sinæ populum comitatus euntem
Signavitque viam, & cursus direxit apertos.
Ipse triumphali subuectus in axe, vocavit
Te magne Ezechiel, diuina vt iussa sonares
Excitus fatis, emissam vt carcere gentem
Rursus in antiquam patriam è Babylone reduxit,
Dum tandem humana collectus in ossa figuræ
Regnatorem Erebi, sedemque immitis Auerni

b v

Excidio

IN ASCENSIONEM

Excidio dedit incumbens, vimque eruit omnem,
Constrictos & auos immani carceris antro
In lucem expedit, secumque è morte reduxit
In nemus Elysij superi, sedesque beatas,
Et se sublimem caeli in statione locavit,
Ut vatum impleret voces, atque omnia fata,
Conuentusque hominum sacros sibi cogeret omni
Ex numero, & tandem confecto temporis orbe
Defunctos iam olim tumultis exciret eosdem
Desuper adparens illustri clarus honore,
Ut patriæ reddat, patrique pia agmina sistat
Commendans genus agnatum, dulcesque piorum
Reliquias, patrique idem data regna resignet,
Et secum æterna faciat ditione potiri
Iusticiæ cum luce pari, quando hostibus altè
Immineat victor stygio procul orbe remotis
Quos feruens magno præcluserit obice torrens.
Nunc verò in vinclis cohibet, ferrique catenis
Ne struere auderent acies, aut tendere contrà
Usque restruatos censoris ad ora stupendi.

Nimirum hanc pugnam, spectaculaque ista Trium-
Olim Tharsiasca vates de gente sonabat. (phi
Namque canebat vti magnum per inane leuatus
Regna, potestatesque Erebi, vimque exuit omnem
Omnipotens natus Patris omnipotentis, & ipsum
Serpentem stygium qui malo illuserat Eue
Comminuit, nocuosque ausus dispersit in auras,
Sub

CHRISTI.

Sub pedibus lethum posuit, culpam abstulit omnē
Infernas reserans sedes, & vincula resoluens
Agmina, vique sua capiens immane barathrum,
Tortoremque in eo vinculis damnauit abeneis
Æternū, & socios æterno in carcere clausit.
Quandoquidem exacuit vires fortissimus Orci
Spiritus, attollitque animos, & robora contra
Effert, & sociūm virtus coit omnis in vnum,
Tartarei flatus, noti feritate Tyranni,
Doctrinæ authores falsæ, & qui nomina fratrum
Prætendunt ficto sub religionis amore
Hostes doctrinæ, monumentorumque sacrorum,
Omnes qui cæde accincti, vanisque repertis
Dedecore afficiunt magno Natumque Patremque,
Verba Dei & fraude inuoluunt, & deicere agmen
Christicolūm tendunt, fundoque euertere ab imo.
Mors etiam, siue illa huius, siue illa futuri
Perpetua est æui, dehinc execrabile votum
Damnantis Legis, nec non auersa Dei mens,
Æternusque furor, lethalis & ira Tonantis,
Et varia ærumnæ genera, & discrimina fati
Multa modis multis, pariter socia agmina iungūt,
Et Satanae pro parte animis, & viribus æquis
Stant longis adnixa hastis, ictumque minantur.
Hastæ acies verò ô homines nostra impia culpa est,
Omnia qua violat, quaque inficit omnia letho
Quicquid in has auras vsquam genuere parentes.

Hanc

IN ASCENSIONEM

Hanc bastam Lex cuacuit, quò transeat ictu
Ad latebras animæ, & vitam dispergat in auras.
Hi sunt qui Christo bellum, implacabile bellum
Intentant: stygiæque patent magna ostia portæ
Ingenti rictu similes iam iamque voranti.
Et quicquid perimit lethum per vulnera culpæ,
Id flammæ stygiæ absorbent, & deuorat Orcus.
Hostibus his Christo luctandum, & bella gerenda,
Et quæ bella odijs haud exaturata quiescunt.

At fortes hostes superabat fortior hostis
Patre Deo pariter, castaque è virgine natus
Stirpe potens gemina, qui prælia dura subibat
Unus pro multis, & multis hostibus vnus
Luctatus bello, spolia omnibus omnia ademit,
Perque sonum verbi patrio quod corde profectum
Omnia conuicit reprobi mendacia mundi, (est
Et vitam amissam propria cum morte reuexit.
Inde triumphatos in circum protulit hostes,
Romani vt procures dextro cum Marte potiti
Solenni in pompa lætum Pæana canebant
Toti lucentes veste, atque insignibus armis,
Velabantque comas lauro, currumque premebat
Insignem radijs victor, quem tegmen obibat
Auro intertextum: dextra, leuaque sequuntur
Purpurei cristis procures, Ostroque decori.
Tendebant alij pictum velamen ad auras,
Quo res Romanæ, pugnataque in ordine bella

Cernere

CHRISTI.

Cernere erat, versæque arces, atque oppida forti
Capta manu. Tum victa phalanx, ereptaque victis
Signa vehebantur, clypei que enses que corusci,
Et cristæ capitum, & loricae ex ære rigentes,
Externique habitus gentis, gentesque superbæ
Ferro innectuntur torto, passimque feruntur
Per fora, perque aditus, & publica strata viarum.
Ante triumphantis currum, qui quatuor albis
Ducebatur equis, pueri cum veste decora
Frenatis lucent in equis: Sed deinde sequuntur
Insignem currum quos victor ab hoste recepit
Velati ramis oleæ, nexisque corollis.

Postremò incedunt florentes ære cateruæ,
Omnibus his viridi velantur tempora seroto.
Quin & in occursum tota regione ruebant
Agmine composito ducentes sacra per urbem.
Letitia, ludisque viæ, plausuque fremebant,
Pulsataeque dabant vocum discrimina chordæ.
Omnibus in templis aptabant dona superbis
Postibus, in partemque Deos, prædamque vocabant.
Qualis Abram partem tibi Melchisedece ferebat
Ex omni prædæ numero, cum victor ouaret.
Mutua tum inter se læti conuiuia curant,
Multa bouum circa maculantur corpora, & albas
In flammam iugulant pecudes, tum spargitur aurum
In numerum, & totam sacrantur vota per urbem.

Haud alia est Christi per nubila ouantis imago

Cum

IN ASCENSIONEM

Cum caelo inuectus, spoliisque Acherontis onustus
Agmen agit praese, medio cui caelus Olympi
Occurrit spatio, & legiones per loca caeli
Agnoscent longè regem, lustrantque choreis.
Ipse sedens, palmamque tenet, celebratque triumphum
Prosubigens pede serpentem, quem denique victum
Nunc quoque in officio verbi per compita ducit
Spectatum, penitusque Fides cum lumine aperto
Perspicit, ut Mortem absimsit victoria Christi,
Ut malus attrito succumbit vertice Serpens,
Utque animos posuit rabiosa potentia mundi
Versa retrò, signumque gerant seruire Tyranni
Constricti collo ferri compage retorta.

Ergo agite, & quicumque oculis, et pectore fido
In verbo aspicitis tanti simulacra triumphi:
Dicite id Mors fœda ubi nunc tua tela, tui arcus,
Obliquæque acies, & tinctum hostile cruore?
Incipe si qua tibi virtus, & consere dextrâ. (bas?
Styx, ubi nunc vis magna tua est, qua turgida oua-
Seps, ubi nunc magnū imperiū, quo cuncta fatigās
Seruitio, infanda possim ditione premebas?
Vlterius ne tende, tui est hic meta furoris.
Vicisti tu Christe orbem, Mortemque triumpho
Hausisti, mundi que caput tu calce petisti,
Vinclaque victa manu caeli ad conuexa tulisti.
A quo igitur vis eueniat, si Numine apud nos
Semper ades, dum lapsa obeant sua secula finem?

Tu

CHRISTI.

Tu, cūm sēpē audet rursūm se in vulnera Serpens
Erigere antiquus, retroque reflectere dentes
Inuisos Christi pedibus, sēuūmque venenum
Morsibus inspirat, tu desuper acrius instas
Ora reluctantis reprimens, & vulnera sanas
Quæ pedibus sunt facta tuis, & sanguine mundas
Ipse tuo, atque olei curas aspergine sacri,
Nempē tuo Flatu, reficisque in prælia fessos
Ne cupiant tentare fugam statione relicta,
Substituisque loco tua qui mandata per orbem
Intemerata ferant, populisque exacta recludant.
Hinc dona in medium largiris Flamine misso
Cūm tua verba homines animo accepere fideli:
Tu Patri defers gemitus, & verba precantum,
Et nos prosequeris cura, nostræque salutis
Impendis vitam ipse tuam, propriaque carentes
Iusticia, tegis ipse tua, qua denique freti
Audemus patrios impune accedere vultus,
Et petere ex illo cæli quodcunque bonorum est,
Ut quondam indutus villosō tegmine Iacob
Ante patrem accepit felicia vota salutis,
Et quos non meruit primi natalis honores.
Nec longū in medio est tempus, cum victor ouanti
Inuectus curru nos tecum in sceptrā repones,
In partemque tuorum, et regna vocabis honorum.

IN

I N P E N T E C O.
S T E N.

Ec verò exuperat quicq̄, nec grandius orbi
N Concessum munus, diuini & pignus amoris,
Quàm quòd ab arcana molitus sede regressū
Ipse suum numen miseris mortalibus vltro
Exhibuit Deus, & manifesta in luce retexit,
Lucis inaccessæ radijs quanquam abditus ipse,
Quo neque fas acie qucnquam, nec tendere sensu.
Atque ideò emicuit, sua sensa vt condita nobis
Monstraret bonus, & dictis aperiret amicis.
Ergò etiam legis præcepta, aut sancta salutis
Gratuitæ promissa sonans, aut semper vtramque
Complexus vocem, populos sermone docebat.
Lucibus his aũt, quibus omnis turba quotannis
Mente pia recolit monumenta exorta supernè,
Bis Pater insigni se olim patefecit honore,
Bis magno in populo miris sese extulit ausis
Ostentans decus immensum, numenque tremendum
Toti naturæ rerum: & quo tempore primùm
Monte Sina rapidos iaculatus nubibus ignes
Spiraretque iras, & verba minantia lectum,
Dum Lex de cælo sonat, & mortalia corda
Per gentes humilis strauit pavor, incitaque alto
Terra tremit motu, monsque ignib. ictus anhelat.
Ille ardens ira, & radijs circum ora coruscans
Sublustris in nebula, Gnatum compellat, vt ipse
Interpres

IN PENTECOSTEN.

Interpres det se in medium, suaque horrida iussa
Officio Mosis populo commendet habenda:
Quandoquidē aspicere, et vultu contrā ire Tonantē
Haud licitum est cuiquam mortali semine creto.

Deinde aliud maius factū, multoque tremendū
Obijcitur magis, & mortalia pectora tangit,
Cum subitō ingenti cœlum discessit hiatu,
Flatus & in flammis, & fisis gutture linguis
Adparent, lucemque sacram per tecta volutans
Cum sonitu inuasit credentis pectora turbæ
Argutas reserans varia in præconia linguas.

Hic cum diuerso gentes ex orbe coissent
Tām variæ linguis, habitu quàm vestis & armis:
Quisque suæ tamen agnouit commertia linguæ,
Consortesque sonos, patria & discrimina vocum.

Nos ergò propiūs cupit hæc monumenta tueri
Sancta Deus, certamque fidem prædiscere ab illis
Doctrinæ stabilis mortali in gente sonantis.

Huncque Deum tu mente colas, votisque fatiges,
Qui tibi se toties miris patefecit in ausis.

Primum equidē Sinai sub vertice, quē super ingens
Porta tonat cœli, & trifido montem implicat igni,
Horrisco sonitu data erat sapientia Legis.

Exin cum molli strepitu genitabilis auræ
Missum Flamen erat, monstratumque omine aper-
Hunc flatum propria per se subsistere vita (to est
Viuida qui flamma est mentis Natique Patrisque,

c. Qui

IN PENTECOSTEN.

Qui viuam hanc spirant auram, & per mutua sese
Rursus amant, vinculisque herent, et numine amico.
Flamma patrem, natumque ardet, Natusque, Paterque
Flammam ardent rursus, par est utrinque voluntas.
Tunc etiam patuit, Flatu impulsore quod isto
Natura manante Dei Nati que Patrisque,
Pectora nostra sibi societ Deus, ipseque Flatus
Ceu medio vinclo iungat Christumque, piosque,
Atque nouæ radios accendat lucis, & inde
Iusticiam extimulet, Legi qua nitimur ipsi
Atque Deo pariter conformem ducere vitam.
Nec datur hic Flatus cuiquam, nisi qui tibi iunctus
Christe fide vera prius hæreat, inde capebat
Si te habeat, quæ dona tuo de munere manant :
Nec consors humoris erit, nisi palmes in ipsam
Traductus vitem prius almo in stirpe caleseat.
Quique tui est exors flatus, nil iuris apud te
Obtinet, & non vlla tenet consortia tecum.
Nec melius donum Deus, aut dare maius habebat
Naturæ nisi fida suæ commertia nobis
Transfuso flatu, veri qui nexus amoris
Mente ligat socia præcordia nostra, Deumque.
Et sic condiderat mentes hominumque, sacrorumque
Alituum regione poli, quod Flamine in ipsas
Diffuso, cuperet coniungi Numine, & æuum
Transigere æternum, & socia bonitate potiri,
Iusticiæque suæ radijs communibus uti,

IN PENTECOSTEN.

Ac alere inuictam sapienti in pectore lucem.

Hoc erat, hoc ingēs monumentū et pignus amoris
In genus humanum, sua cū bona summa creator
Ipse Deus faceret secum communia nobis, (tum.
Nempè suum effundens hominū in præcordia Fla-

Heu quàm respondit meritis mala gratia tantis?
Diuinus nexus, mirandaque vincula amoris
Quæ fas æternū colere, & reuerenter habere,
Rupimus ingrati, penitusque excussimus omnes
Pectore polluto diuinæ particulam Auræ.

Factus homo fuerat diuini ad Numinis instar,
Ut mentem nosset domini, & se lege teneret
Illius, & iussis parens se subderet ipsi.
Insita notities erat hæc in origine prima
Cordibus humanis, digitoque insculpta Tonantis
Quo Lex marmoreis demum est inscripta tabellis.
Atque hoc illud erat formari ad imaginis instar
Diuina quæ in mente micat, quòd conditus esset
Primus homo, mentis diuinæ gnarus, & vltro
Auctori præstare potens quæ munia vellet.

His tunc officijs illum affecisset honore,
Perfecto venerans in amore, in speque, fideque,
Præstandisque operis aliena in sorte iuuanda.

Cū verò in tenebris fædè obscurata iaceret
Dulcis imago Dei, sed enim non oblita prorsus,
Quando scintillæ diuina ab luce relictæ,
Nempè acies animi quæ res scrutatur, & vsum

c ij Nature

IN PENTECOSTEN.

Naturæ rerum, generatimque insita cunctis
Notities de lege Dei, sub mente micarent
Abditæ adhuc, nec se auderent extollere rectâ:
Tum missum terris Natum in velamine carnis
Imperijs egit Pater, vt simulacra refingat
Lapsa Dei sub mente hominis, tenebrisque repulsis
Deterse affundat menti noua munera lucis,
Sopitosque ignes iterum sacra excitet Aura
Dans libertatem menti, quò munia obire
Grata Deo possit quæ Spiritus exigit vltro,
Imperfecta quidem, tristi hac dum sorte tenemur,
Sed quæ plena forent, & ab omni parte beata
Destructa iam morte olim, cui subdita vita est
Corruptam ob sortem Naturæ in corpore nostro,
Quæ penitus nequit in solidum, integrumque referri
Hanc dum ægri vitam trahimus, mundoque moramur,
Cum tandem functi tumulis vi Flaminis alta
Venturi æthereas iterum sint lucis in auras.

Ergò etiam præstare oës benefacta necesse est
Debita, qui Christi officio, Flatuque sacro
Incepere iterum simulacra ad auita refingi
Viua Dei autoris, si plena, exactaque demum
Restitui hæc cupiant illorum in corpore quondam,
Et Christi gaudere opibus, partemque bonorum
Exemplo hæredum trahere in cælestibus oris,
Corpora cum rursus noua inibunt lumina vitæ.
Quis furor est igitur dictis obtendere Legi,

Et

IN PENTECOSTEN.

Et sacri officium Flatus premere, vt pia lustrat
Pectora, iterque nouum vitæ docet ire beatæ,
Effigiemque Dei reficit, fingitque nouando.
Improbus AGRICOLA, et comes ille ridiculus MVS
Qui Legem factis violatis, & ore profano
Fatidicum Mosen Legis data iussa sonantem
Imperio Nati, medius qui munera obibat
Legati, iussus Mosi concredere Legem,
Polluitis, sacrum maculantes crimine nomen,
Et furca, stygioque caput damnatis Auerno,
Vos genuit Dathas pater, atque eduxit Abiras
Quos hiscens tellus viuos transmisit Auerno
Cum furijs acti sunt ausi obtendere Mosi:
Et caussa illa fori tantum spectabat ad acta.
Vos, inquam, diræ Eumenides quæ vindice pœna
Mutant facta virum cinctæ serpentibus atris
Sollicitent, pœnasque isto pro crimine sumant:
Dira nec à vobis Legis maledicta ferantur
Imprecor, & vestros maneat pro crimine manes,
O multò grauiora ausi quàm turpis Abiras,
Et scelerum consors: vos sanctam crimine Legem
Infando è superis conati mittere ad Orcum,
Quæ custos hominum vitæ est, & firma voluntas
Diuinæ mentis, fatisque ignara moueri.

At vos quæis melior residet sententia menti,
Audite ô vocem Sinai quæ in monte sonabat
Luce sub hac festa quondam, cum lapsa dierum

IN PENTECOSTEN.

Quinquaginta essent discrimina, tempore ab illo
Quo genus Isacidum Pharia regione reductū est:
Audite, & dociles Legi submitte mentes:

Dehinc petite et votis donū, quod numine aperto
Luce sub hac festa quondam fuit æthere missum
Multifide in linguæ specie, flammæque coruscæ:
Hoc petite, vt celebrare Deum cum pectore puro
Vita queat, iussisque Dei parere sacratis.

Atque ideò venit cœlesti Flamen ab arce
Cœlitus effusum, quò credula pectora firmet
Esse recepta iterum dilapsa in fœdera amoris
Ante Deum: Cumque illud idem procul eijcit omnē
Mœrorem ex animis nostris, & pectora sanat:

Hac luce erecti rursus agnoscamus amorem
Quo nos prosequitur Pater in sua iura receptos,
Atque fide accensis animis ad vota feramur.

T E sine nil altum mens inchoat, cia agè lucis
Sparge tuæ radios diuini fomes amoris,
Atque nouam mentem, noua suffice corda renatis.

Sed quia doctrinæ lucem succendit, & idem
Flatus inextinctam vario tam in turbine seruat:
Vult nos officium verbi reuerenter habere.

Quare agite, vt gratæ mentis monumenta sit
Illis subsidio qui sunt pia verba professi (persint,
Quisque sua pro sorte ferat sua munera ad ARAM.

In Pentecoste Anni 1563.

DE

DE S. VRBANO, IN LAV-
DEM VINI, ET EIVS
VSVM.

Vnc Urbane tuis agitur lux dedita sacris,
N Quando racemiferis frontem circūdata fertis
Æmula stant simulacra tui, colloque reuincta
Torta, repleta mero dependent vitrea vasa,
Suffusique tument oculi, mini oque rubescunt
Tempora, et in ventrem turgentia pectora crescūt.
At Flamen præ se portans simulacra per agros
Te libans Urbane vocat, tibi ducere pompam
Vociferans, vt adesse velis crescentibus vuis,
Neu labes reptantūm vllæ, cæliue ruina
Officiat teneris, & Bacchum euertat in herba.
Illum omnes pueri, & vertunt felicia Baccho
Iugera qui rastris, cantu & clamore sequuntur.

Vana superstitione traxit de Gentibus ortum,
Numinis ignaras veri quas error adegit
Fictilibus diuis cæleste ascribere numen.
Sic te Iane biceps, & te quoque Bacche colebat
Romula gens, quorum largo de munere tellus
Pocula caleatis Acheloia mutet ab vuis,
Mitis & excipiat cæli indulgentia vites,
Frigida nec tumidis subeat iactura racemis.

Nā licet haud magnā mersæ in caligine gentes
Noticiam tenuere Dei quem credulus orbis
Excipiat votis dominum, rerumque parentem:

DE SANCTO

Senferunt tamen æterna de Mente creatam
Hanc feriem : rerumque vices, motusque perennes
Pendere ex alto de maieftate fuperna,
Et Dijs reddendas rerum pro munere grates.

Ut tamen Urbano vini tutela per orbem
Cefferit, ambiguum eft: Diuos fibi fecit abufus.
Primus in Aufonia confors cognominis huius
Tempora qui triplici redimibat facra tiara,
Argento, atque auro confecta, atque afpera fignis
Vafa in honore Deum sacros legauit ad vfus.
Tempore quo sextus fuffecit nominis hæres,
Ad Rheni tractus euentum Bacchus habebat,
Inque iugis Mœni vindemia leta fecta eft.
Inde coli tua fefta putant Urbane quotannis,
Numinibusque tuis folemnem præftat honorem
Credula gens, cum fe verno fub tempore palmes
Induit in florem : Non illo tempore vermes,
Non virides etiam occultant vincta lacertos
Dum latè Ambrofium fpirant arbufta vaporem.

Sed quocunque modo res edita traxerit ortum,
Nil moror horrendos diuorum in cultibus vfus,
Unus enim Deus eft, verbo qui cuncta creauit,
Et Pater, et Natus, Flatusque ab vtroque refultas,
Par tamen, & fimplex perfona in triplice numen:
Ille creat quodcunque vides, feruatque creatum,
Hoc mandante, folum iumentis gramina profert,
Et Cererem humano tribuentem robora cordi.

ille

VRBANO.

Ille nouas trudit putrefacto è semine fruges,
Atque satis largum demittit nubibus imbrem.

Ille duos latices vitisque, olæque virentis
Producit terra, quibus haud præsentius vllum
Humano generi vitæ communis in vsu
Auxilium venit, & vires in corpore seruat.

Scilicet in rebus subiectis luminis orbi
Auctorem nulli subiectum luminis orbi
Conspicimus, passimque sui simulacra notamus.

Ergò age quò rectè tam nobile munus, et ipsum
Muneris auctorem ratio cognoscere discat,

Et Cereris, Bacchi que bonis quantum exigit ordo
Grata mente frui possit sine labe salutis,

Sacrorum de more Patrum, qui morsibus antè
Non tetigère dapes, votis nisi ritè solutis.

Hinc canere incipiant: Vos ô dulcissima diuùm

Munera, languentes hominum quæ pascitis artus
Liber, & alma Ceres: quòd si non munera tantùm

Vestra canunt Vates, sed sacris obuia libris

Tot monumenta probant Lenæi germinis vsum:

Nemo etiam sensu rapiat mea cepta sinistro

Quòd de laude meri præconia pangere conor.

Nèue gulæ laxare putent me frena, meoque

Fulta patrocínio damnosa licentia Bacchi

Tollat honestatis leges, & septa pudoris

Exeat: inuersos vsus, moremque nefandum

Qui certat Baccho, & vicibus se proluit haustu,

c v

Deuoueo,

DE SANCTO

Deuoneo, & vicijs non tento inducere fucum
Intempestiuo veniunt quæ plurima Baccho.

Nec minus aduersum dictis incessimus agmen
Quod ficta pietate putat se numina cultu
Deuincire sibi, vini quando abstinet usu,
Et vites flammis abolet, fœcundaque Bacchi
Culta solo sternit, falcato & demetit ense:
Hæc pietas Mahomete tua est, hinc sæuus ad arma
Surgis, & imbelles Christi insectaris alumnos.
Nec satis hoc, te Nate Dei de sede paterna
Euertit, diaque negat te stirpe vigere,
Sed pedibus tua sacra premit consulta, fidemque
Exponit probris, qua sola sydera adimus.

Nam quamuis sub Mose hominum Nazira pro-
Abstiniuit Baccho validos exosa liquores: (pago
Et stirps Rechabidum votis astricta parenti
Degebat tenuem Bacchi sine munere vitam:
Non tamen exemplo totus cadit usus ab vno:
Dona Dei bona sunt, profuntque impunè fruenti.
Fas Cerere & Baccho, pingui cum cæde ferarum
Grata mente frui, quantum lex ægra requirit
Corporis humani: nihil hinc Romane sacerdos
Iuris habes: Qua lege Dei tu viscera mensis
Arguis imponi? neque enim se numina tali
Placari gaudent merito, sed mente, fideque.

Prouida Nabalis consors, prudentis imago
Coniugis, armenti fibras, vtresque Lyæi

Isacidaæ

VRBANO.

Isacida Regi supplex dat munus habere,
Dona Dei adpellans mundo concessa secundo.
Primi mortales, dum corpora firma manebant,
Et vis in rebus spirabat plena creatis,
Expertes vini degebant tempora vitæ.
At simul ira Dei terræque, hominesque, ferasque
Pro triplici lapsu ter diris vouit, & inde
Diluuiio in magno salsi maris vnda peredit
Pinguia terga soli, cū iam fructusque, hominesque
Deficerent vires solidæ: Pater ipse recentes
Pignore cum verbi, positoque in nubibus arcu
Permisit tibi Noha dapes, vt languida membra
Visceribus pecudum recrees, & Nectaris haustum
Attribuit, stomacho pariter, curisque leuamen,
Iamque seni: pueris non apta licentia vini est.
Ergo repertori vini tibi nomina vini
Hebræa de voce dabant, Ianumque vocârunt.
Cumque æui veteris vidisses secla, nouique:
Hac veteres causa moti, finxere bifrontem.

Talis odorato primus sudantia ligno
Balsama Nachorides medicos monstrauit ad vsus,
Balsama Iudææ tantum nascentia genti,
Quam bellis habilem voluit Deus esse gerendis,
Morborumque dedit simul, & tutamen in armis.
Nam circum infreni sedem tenuere Philistæ,
Hinc deserta siti regio, lateque furentes
Chaldæi cinxere, quibus bella aspera cordi

Semper.

DE SANCTO

Semper, & inuictæ superant ad prælia vires,
Nec solùm argenti venas, ærisque metalla
Supposuit terris Genitor, quæ se ardua tollunt
Immanuel tua rura, & fatis debita regna,
Et passim riuus flauentia currere mella
Passus erat, mixto spumantis flumine lactis:
Quin & pampineo terram vestiuit honore,
Et iuga virgultis frondebant consita Bacchi.
Vix vnum duo namque viri cum veete racemum
Multiplicem, connixi humeris sufferre valebant.
Quippe ingens specimen populis dedit iste racemus
Quem diues rerum variarum, & frugis abundans
Terra Palestinæ cultis caput extulit aruis.
Nec dubium est, Mosén signasse in imagine tali
Præcipuè veram vitem, verumque racemum
In Syria eductum, & patria regione recisum,
Unde sacer latè stillat liquor, omnia passim
Qui sanie, taboque fluentia vulnera purgat
Quæ latro inflixit miserandò in corpore nostro.
Quippe idem qui se vitem cognomine dixit
Filius ipse Dei, quando ad connubia venit
Pauperis in Canæ vico, generosa Lyæi
Dona ferens aderat, vini que probauerat usum
Ipse suo exemplo dum labris admouet haustum.
Quare agite vt vini conceditur vsus, ita arctis
Relligionum animos nodis exoluere pergo.
Carne famem sedare, sitim restringere vino

Si

VRBANO.

Si modicè sumas, si grato pectore, nulla
Relligio vetuit, neque enim lex obligat vlla
A quibus officijs te lex diuina resoluit.

Hoc sacri proavi rebus quorum exigit vsus
More fruebantur, qui sueti viuere paruo,
Præfati quo preces, curabant corpora victu.
Qualis vbi Abramo spolijs hostilibus aucto
Melchisedech rex idē hominumque Dei que sacerdos
Munera portaret Cereris, laticemque Lyæum,
Perque diem inter se conuiuia lauta pararent:
Tum prior attollens pateram spumantis Iacchj
In mensam letus libat, partumque triumphum
Gratatur reduci, dehinc sacro ex ore precatur
Ut sanctum superet genus, Abrami que nepotes
Syderis in numerum ventura in secula crescant.

Hic mos orandi, quando ad libamina sacri
Conuenere Patres, reliquis cum insignior vnus,
Aut æuo prior, aut meritis, firmissima vina
Crateri infudit magno, mistoque liquore
Fluminis, in mensa laticum libauit honorem,
Lustrauitque dapes, dixitque precantia verba,
Et patera increpitans partem dispersit in auras,
Et primus laticem summo tenuis attigit ore:
Tum socijs dedit assurgens, illi ordine circum
More suæ gentis, latices hausere Lyæos.

Hoc & tum ritu libabat pocula vates,
Non vt rem sacram faceret pro nomine Abramj
Placarétue

DE SANCTO

Placaretue Deum cultu, & libamine factu,
Qualia sacrifici finxerunt monstra per orbem.

Hunc proceres morem libandi ritè tenebant,
Atque super patera cecinisse oracula Iosephum
Autor erat Moses: sed enim non fata futura
Edidit, aut illa magicas exercuit artes,
Qualis qui fibris inhiat spirantibus, & qui
Conscia fatorum de sensu consulit exta:
Verùm sacra canens illo libavit in auro,
Instituitque preces, & grates insuper egit
Pro re communi, stabili pro sorte sacrorum,
Et sic ore refert: Pro te rex inclyte vota
Publica concipimus, Bacchi tibi sumimus haustus.
Nam Vatem non solus agit, qui pandere dictis
Fata arcana potest: sed qui pia sensa recludit
Diuinorum operum, prudensque euoluit in auras
Scripta, ministerio linguarum, atque arte magistra.
Ergò ille est Vates, qui lingua interprete pandit
Sacra, valens usu rerum, arbitrioque sagaci,
Quique canit superum laudes, atque ardua facta,
Immiscetque preces, & grates ore profundit.

Sic & non aliter, patriæ de more Iosephus
Vota super pateram fecit: mensaque locati
Omnes in circum precibusque, haustuque sequuntur
Terque, quaterque viri, donec superante Lyæo
Nemo ex hoc numero non exaturatus abiret.

Hunc etiam gentes inter conuiuia morem

Semper

VRBANO.

Semper honoratum, et sacratum semper habebant.

*Solennes cum fortè dapes de more pararet
Nestor, consilijs habitus celeberrimus autor,
Compositos vnà mensis ex ordine natos
Cælicolùm regi persoluere vota iubebat,
Ferte preces, hominum gens est opis indiga diuùm.
Inde super patera votis iam ritè peractis,
Libauitque merum, & socijs dedit ordine circum.
At soli precibus nullis, libamine nullo
Discubuère thoris Epicuri de grege porci.*

*Quin etiam mensa cum conuenère sub vna
Lectà manus procerùm, tum pro duce vota ferentes
Fausta suo, in numerum libabant pocula Bacchi,
Ut quondam hunc moerm seruârat ritè Iosephus
Vota super patera fundens, quem deinde secuti
Longum iter externas qui suscepère per oras
Fusa propinabant digressu vina supremo
Votum pro reditu: dehinc colla comantia equorum
Perfudère mero, nec non bona verba dedère.*

*Cum pius Æneas ventis dare vela parabat,
Stans puppi in media pateram tenet, extaque salsos
Porricit in fluctus, & vina liquentia fundit,
Ventorum exposcens paces, animasque secundas.*

*Quin etiam antiquo celebrans conuiuia ritu
Extrema iam in nocte, prius sacra mystica cænæ
Quàm sancita forent, pateram sustollit, & inde
Vota ferens, haustum Christus de simplice vino*

Supre-

DE SANCTO

Supremum socijs dedit, atque ita farier infit :
Venit summa dies, & stat discedere terris,
Atque extrema pati, sacras ubi cæsus ad aras
Pro mundi vita vitam cum sanguine fundam
Arboris expansus trunco, nec iam amplius haustus
Confessu in tali vobiscum è germine vitis
Libabo terris, donec cæleste Tonantis
Imperium adueniat, superasq; ego reddar in auras,
Et tandem reuocentur humo qui in morte quiescunt.
Tum cætus sacer, atque æui maturus Abramus,
Et pater Isacus, longoq; ex ordine nati
Perpetua incipient vita considerare mensis
Nectare gaudentes liquido, succisque virentis
Ambrosiæ, quanquam nil rerum talium egentes,
Aligeri vt pueri, quos olim excepit Abramus
Instituensq; dapes, & plenæ pocula mensæ.
Quare agite, extremum hoc munus morientis habete,
Et pateram hanc, dextra pateram nam fortè tenebat,
In numerum libate pij, æternumq; valete.
Talia dicta dabat socijs : illi ocyus omnes
In mensam iussi libant, dominumq; precantur.
Quod superest porro, non solis haustibus aptum
Esse dedit vinum genitor, quò corpora victu
Curari possent, sed morbida membra leuari,
Absumasq; ægro refici sub corpore vires
Hoc voluit : vinum seruire frequenter honori,
Et vino voluit conflari dulcia vincla

Suavis

VRBANO.

Suavis amicitiae, cum qui sub pectore aiebant
Sæpe simultatum nigra semina, protinus audent
Omne odium inter se penitus remouere, meroque
Diluere, & pacti dare dextram in pignus amoris.
Quin & lætitiæ causam dedit, ægraque curis
Pectora, & ingrato nequicquam oppressa labore
Rettulit in melius, viresque in pristina vertit.
Nam cum diluies scelere irritata nefando
Naturam rerum tenuauerat, & procul omnes
Membrorum imminuens vires, noua sparserat intus
Semina morborum, cum iam noua crimina latè
Extulerant caput, & diris bis vouerat antè
Orbem omnem genitor: tandem miseratus ab alto
Res hominum, ignotum carnis concesserat vsum,
Et Noë vini latices, oleæque virentis
Abramo frutices Syriæ monstrauit in agris,
Vt sua corporibus virtus, vtque insita cordi
Viuida lætitiæ auxilijs seruetur ab istis.
Non equidem terris, non gutta salubrior vlla est,
Quàm pingui exudans olea, quàm mitibus vuis,
Altera quando foras, quando altera funditur in-
Et pater Isacides, & qui Samaride ab ora (tus.
Semianimi, fixoque superuenit, extera regna
Visentes, oleoque cados, vinoque repletos
Veſtabant secum, quibus haud accommoda vitæ
Dona magis, bonitate Dei tellure creantur.
His motus causis Tharsensi natus in ora

d

Egregius

DE SANCTO

Egregius vates caro mandabat alumno
Cum malè digereret stomachus iam segnior escas
Auxilium petere, & vires accendere vino.
Cura vigil, studiumque sagax, in corpore vires
Attenuant, prauisque opplent humoribus aluum:
Deficit hinc cerebri virtus, aciesque retusa
Ingenij argutos non gignit vt antea sensus.
Pallor in ore sedet, macies & liuida vultum
Sulcat, & ante diem subit immatura senectus
Cum iam destructa natui sorte calor
Candida Cygnæas imitantur tempora plumas.
Hic iam vitigenos suadebo haurire liquores
Subsidio stomachi, atque vltro succurrere lapsis
Spiritus, solitosque iterum reuocare vigores,
Tabentesque artus victu reparare salubri,
Perque vices requiæ, & modicum exercere labore.
Sapè breues somnos studium facit, aut labor angit
Publicus officij, & sub noctem cura recursat,
Sollicitumue facit iactura, & parua domi res,
Aut soboles morbo conflictans, aut grauis vxor:
Hic tu mæstitiam generoso dilue Baccho
Concilians somnos, & tristem auerte dolorem.
Inprimis venerare Deum, rebusque peractis
Posce pius veniam, nec cessa in vota, precesque
Donec grata quies victis obrepit ocellis,
Et fessas reparet vires, & digerat escas,
Et lenes Cerebro aspiret sub nocte vapores,

Manè

VRBANO.

Mane nouo vt possis rebus præstare gerendis.

Diuisit terris genitor sua dona, nec omnis
Omnia fert tellus: soli ex oriente profecti
Thura dabant, aurumque Deo, stactesque liquorẽ.
Et regina tibi Salomon ditissime regum
Diuitis Arabiæ spirantia dona ferebat.
Isacides natum, cui forma ignota parenti
Misit in Ægypti fines, vbi Dædala tellus,
Diues opum variarum, & pingui fluminis alueo
Prouentu vario reliquis longè eminent oris.
Sic Heuila fœlix tellus, Ophyræaque rura
Argenti atque auri massas, ærisque metalla
Gignebant viuo fœcundis sulphure venis.
Prussia mittit aquis certantia succina gemmis:
Pellibus, & spolijs corpus vestire ferarum
Edocuit tellus septem subiecta Trioni:
Sic Canaæ regio produxit fertilis vuas:
Nec leue nomen habent fumantis vina Sareptæ,
Quæque sub Argolicis florebant collibus vuæ
Ipse pater vatum quas laude vehebat Homerus
Vinosi crimen vini qui laude ferebat.
Nec vos transierim vina acceptissima mensis
In Rheni generosa iugis, quæ sola sapore
Et sano latice Arctoo superatis in orbe.
Nã neque quàm multæ species, aut nomina quæ sint,
Scire operæ precium est, numero neque prendere re-
Parcite mortales vsu temerare nefando (fert.
d ū Dona

DE SANCTO

Dona Dei, certè rebus suis omnibus ordo est.
Quem qui transiit, cadere in sua fata necesse est.
Bacchus & ad culpam causas dedit, ille furentem
Pellæum iuuenem letho dimittere adegit
Cui res credebat summas, cuiusque vigebat
Consilijs regnum: Quòd si quoque deditus vna
Esse voluptati sapiens voluisset Vlysses,
Cum socijs versus migrasset in ora ferarum.
Ex re nomen habens Nabal, vitam efflat in auras
Dum iacet hesterno venas inflatus Iaccho.
Interdum est sanctis error suus: ipse leuamen
Cum peteret curis Nobas, vis vicit Iacchi,
Nec facile est seruare modum, tamen ipsius inde
Risores trahit ad pœnam vindicta Tonantis,
Quando imprudenti nocuit violentia vini.
Nec Lothus venia caruit, quanquam impia labes
Offenditque Deum, & mansit sua pœna nepotes.
Sic olim instituens conuiuia lauta Iosephus
Lætitia, vinoque diem, & sermone trahebat,
Et cum conuiuis largo se proluit haustu.
Nec Deus est numen rectæ cui gaudia mentis
Displiceant, si non pietas violetur, & æquum.
Prætereà gelidi partes habitantibus orbis
Quâ videt Arctoi gens Teutona syderis axem,
Feruïdus his sanguis magis, & sitientia corda,
Quàm qui sub tepida viuunt regione locorum,
Quò magè liberiore sitim restinguimus haustu.

Si mi-

VRBANO.

Si mihi, si tantum sperare, & dicere fas est,
Quandoquidem ipse Deus Iudæa in gente repulsas
Pugnantes cum mente sua, cum lege sacrata,
Gentis amore suæ tulerit tamen, ut pia seruat
Sacra, Deumque colit quem non gens cætera nôrat:
Non equidem dubitem veniam hac in parte daturū
Egregijs virtute viris, quos largior haustus
Corripuit sæpè, atque animos mœrore solutos
Inuadens subito vicit generosa meri vis,
Si pietas, si prisca fides, sinceraque constet
Teutonico ritu non fictæ gratia mentis.

Ne tamen hoc usu veniat mihi, magnus ut ille
Laudibus arguitur vini vinosus Homerus,
Conticeo tandem, & factio sic sine quiesco.

CONSIDERATIO ECLIPSEOS

QUÆ EST FACTA ANNO 1563.

Mense Iunio D. 20. H. 6. M. 16.

P. M. VVitebergæ.

Vid tantum è cælo venientia fata notamus
Q Hei miseri, et nostra de clade inquiremus astra
Sedibus infaustis commissa, aut lumine læuo
Obuia, & in magno toties signa edita cælo?
E rebus quæcunque infrà in tellure geruntur
Argumenta mali, & vestram prædiscite sortem.
Penè suæ oblita est sortis pars quælibet anni

d iij

Miscen-

IN ECLIPSIN

Miscenturque vices, & versa lege feruntur
Omnia: Num sua habenda fides mortalibus vllis,
Decipimur toties cœli si fraude sereni?
Et Veris ratio varia est, & inhorruit Æstas
Frigore: tempestasque cietur turbida cœlo
Vortice corripens hominumque boumque labores.
Si qua tamen tantis mansere imperdita fatis
Frumenta, & viridi in stipula lactentia turgent:
Flamina ventorum violento turbine vexant.
Serus in Autumnum quod si seruabitur æstus:
Pallida Tisiphone stygijs armata venenis
Disperget morbos, & sternet corpora letho.

Vidimus & vasto cœlum discedere hiatu,
Nocturnasque faces flammaram ducere tractus,
Atque hinc, atque illinc abrumpi nubibus ignes
Concursu, & cadere in terras tela ignea vulgò.

Quis verò veniam votis petit, ac prece poscit
Sollicita paces ventorum, animasque secundas,
Quis plangit mala? Securi cœlique, Dei que
Infando intereà cumulamus crimine pœnas,
Nec via peccandi simplex, sua cuique voluptas,
Materiem culpæ diuersa in sorte ministrat,
Hi factis, illi lædunt pia numina dictis,
Et vera faciunt de relligione cothurnos,

Ac nostros intra muros peccatur & extra. (nunc
Sed quem præterita adficiunt minus, aspice que
Portendit cœlum præsentia: Namque vbi lucens,
Quam

S O L I S.

Quam faustis hodiè auspicijs, atque aëre puro
Extulerat, radijsque retexerat ætherius Sol,
Fine bono clausam cupiet decurrere mundo:
Ecce intercipiet lucem soror impia fratri
A quo lumen habet, nigroque obducat amictu,
Usque adeò ut tenebras omnes Acheronta putares
Liquisse, & magnas cœli texisse cavernas,
Et dimittere equos Sol languidus optet hiantes.

Vos quibus astrorum positus, cœlique figuram
Explorare labor, nimium dira omina rerum
Conijcitis: lætæ segetes, frugesque repostæ
Damna trahent: Nam sede sua stans humida Luna
Sub signo humenti, quâ Sol quoque luminis almi
Deponit radios, superique proinde Planetæ
Coniuncti, tumidis cumulabunt flumina lymphis
Ut superent amnes, & passim exuberet humor.
Ergò liquida vis, & multa grandine nimbi
Terram ad diluuiem reuocabunt, & sata leta
Vel subiti periment imbres, gelidæque pruina.
Inque domo Lunæ residens, discrimina multa
Morborum intentat Saturni frigida stella.
Cumque eadem noni posita est in cuspide tecti,
Portendit diras fraudes, sæuosque furores
Agmina quos passim sacris operata mouebunt
Delusa affectu proprio, ceu cætera nusquam
Bella forent, nusquam toto erraretur in orbe.
Iuppiter hæc paulùm Saturni incommoda lenit

d iij

Sublimis

IN ECLIPSIN SOLIS.

Sublimis positus, quamuis à lumine læuo
Saturni premitur, clades vnde ille bonorum
Portendit miseris, propriæque incommoda sortis.
Hos etiam propria Mauors in sede locatus
Respicit obuertens radios, atque impia bella
Seditione graui, properataque fata minatur:
Namque domum mortis quadrata luce tuetur.
Inde latrocinia, et morbos portendit acutos:
Adde graues motus in relligione, minasque
Ventorum ingentes, & magna tonitrua cœli.
Sol etiam Lunæ penetrali in sede receptus,
Humida præsertim cùm sydera fixa sequantur
A tergo comites, quædam sint præuia gressu,
Hei miseris nautis signat discrimen aquarum.

Nec verò hæc sine mēte aliqua, sine numine certo
Proueniunt frustra: Signis dedit ipsa fidem res.
Et iam pœnarum satis, & iam cladis abundè est,
Sed, fateor, culpæ nostræ mala plura merentur,
Ni patria bonitate Deus sua frena furori
Contraheret, ne sacra hominum monumenta fati-
Et penitus toto Pietas intercidat orbe. (scant,

Vos autem diræ clades, vos triste manebit
Supplicium, nullo assueti mansuescere cultu:
Verba docent, & signa monent, & pœna probabit,
Ni subito in melius vitam conuertitis, actum est.

IN

IN HORTVM D. EVSE.

BII MENII.

Ortus odoratis surgit pulcerrimus herbis
H Consitus ante urbem vicina ad mœnia portæ
Quâ sedes sacra exuuijs magnique Luteri,
Consortisque operum fidi, doctique Philippi.
Fons scatet in medio sanis vberimus vndis
Occultè medicans scabie liuentia membra,
Cuius vbi experti vires, lymphasque potentes,
Insignes quondam arte viri, vatumque Micyllus
Optimus, & qui se Grynæum voce ferebat,
Cum sæpè abluerent tepesactis corpora lymphis :
Tum fonti nomen Vatum tribuere sacrorum
Olim qui fato vires habuere medendi.

Imminet inde super Lenæo germine florens
Ad Solem expositus collis, dehinc valle reducta
Depositæ sulcis plantæ, & de matre recisæ
Exeruerè caput mixtis in fronde racemis.
Adde tot herbarum species, arbustaque leta
Æquis inter se spacijs digesta per hortum.
Hic cerasis locus, hic cæram simulantia pruna,
Castaneæque nuces, & mala Cytonia ramis
Luxuriant, ipsamque grauant sua pondera matrè.
Antè aditus verò domus est accommoda Musis,
Secessum & curis quærenti, aut rebus agendis.
Hortus in hos vsus colitur tibi candide Meni
Cum fessi studijs recreamus corpora eundo,

d v Atque

IN HORTVM

Atque graues curas sancto sermone leuamus
Dum morum, & vitæ laxari frena frequenter
Cernimus, & nusquam leges, & recta valere
Consilia, aut fato vrgenti succumbere mentes:
Quandoquidem quibus est melior sententia menti,
Elisi, spretique abeunt, aut dicere mussant.

Adueniet tamen illa dies, qua quemque manebunt
Præmia pro factis, seu recta aut improba gessit,
Et meliora pijs versa vice currere fata
Incipient, tersæque genis in gaudia abibunt
Iustorum lacrymæ: tunc & gens improba labem
Morte luet merita, seuoque accincta flagello
Tisiphone æternum pœnas cum sanguine poscet.

Hæc ita, cum viridi vestigia ducimus horto,
Solamurque animos conspecta ab imagine florum
Quos pater omnipotens putrefacto è semine in au-
Protrudit sub vere nouo, varijsque colorum (ras
Ornat imaginibus, quali non luxit amictu
Rex Salomon, quamuis regum ditissimus esset.
Et dubitamus adhuc an curæ simus, & vllos
Observans homines sedeat Deus altus Olympo,
Qui longè flores superamus, queis pater ipse
Subsidio Natum misit, qui sanguine vitam
Perpetuam referat, cum flos qui viuividus exit
Tantum hodie floret, cras nutrimenta daturus
Materiemque focis. O qui viridaria campi
Aspicitis, reuocate animum, & spe pascite mentes.

Ecquid

D. EVSEBII MENII.

Ecquid larga tuo messis tibi prouenit horto,
Si tantum solamen habes, si commoda tanta
Non magno ex horto, quæ nec vel Adonidis horti,
Aut nemora Alcinoi dederant solatia menti.

Vir bonus ad Solymas Arimathide venit ab ora
Nomine Iosephus, tanta qui solus in vrbe
Conscriptos inter patres comes hæsit Iesu
Regna Dei sperans, & vitæ secla futuræ
Cum mare, cum tellus, renouandaque machina cœli
Corruat, & claras redeant animata sub auras
Corpora, quæ tumulis pridem liquefacta iacebant.
Sæpè illi gelidus circum præcordia sanguis
Dirigit, quoties rabida agmina circumspexit
Confessu in medio patrum, quos gloria Christi
Obliqua inuidia, stimulisque vrgebat amaris,
Dum cernunt latè Solyma increbrescere in ora
Nomen & acta viri, sese & sua sacra vicissim
Concidere, & veram doctrinæ exurgere lucem,
Ergò hortum arboribus cultum, & benè olentibus
Ante urbem eduxit diuino in monte Moria, (herbis
Quæ sacri proavi tumulos habuere frequentes,
Et vita functi placida iam in morte quierunt.
Tectum erat huic horti in medio, pulcrique receptus
Arte colorati, curisque ingentibus æger
Huc gressus tulit, hinc petijt solatia vitæ.

Per se pulcra quidem vitæ argumenta futuræ
Hortus habet, variisque micat pulcerrimus index

Augurijs

IN HORTVM

Augurijs passim, mutandæque omina formæ
Ante oculos, interque manus sunt plurima nostras.
Nam zephyris resoluta sinum terra alma quotan-
Producit fruges, quæ iam in tellure latebant (nis
Rura gelu dum claudit hyems, dum læta recumbunt
Germina, cumque suis moriuntur frondibus herbe,
Nec suus est hortis decor, & sua gratia rurj,
Sub terris enectæ iacent insecta, suisque
Semina putrescunt sulcis cumulo obruta arena.
At simul ascendens radios iacit ætherius Sol
In terram, & sparsa reuocat genus omne calore:
Surgite vermiculi, vos sulcis condita grana
Surgite, & ærias pictum caput edite in auras,
Assuetæ & ripis volucres, & fluminis alueo
Mos quibus hyberno se tempore condere in vndas,
Surgite, tempus adest, nec enim mora libera vobis.
Ecce cateruatim surgunt, velut agmine facto,
Et varios fœtus vario de germine trudent,
Omnibus & plantis vita est, vna omnibus herbis.
Semine ab exiguo tot gignit grana papauer,
Tot folia, & capitum varijs discrimina cellis.
Hæc ne Deus paruo in grano tua magna potestas?
Tunc nouas putri producis semine fruges,
Et verbo ærias in luminis elicis oras?
Nonne idem valeas generoso è semine carnis
Antiquos renouare ortus, vitamque caducis
Inserere exuijs, animamque inflare sepultum

In

D. EVSEBII MENII.

In cinerem, atque novas hominū producere formas
Mente Deo similes, & membra micantia Soli?
Hei quā parua manet nostras fiducia mentes,
Quanquā aliquem cælo dominū, rerumque parentē
Conscia mens trepidat, quanquā illum voce salutat
Seruatore[m] orbis, rerumque sub orbe potentem.
Cur dubitant homines duræ solatia vitæ
Hinc trahere, & lapsis melius confidere rebus?
Quandoquidem viuunt animæ post funera nostræ
Quas mox corporibus iunget Deus, altaque cæli
Æternis habitanda dabit penetralia seclis:
Et quia magna dedit, non addere parua negabit,
Vel validam vitam, vel quod vitæ exigit vsus.

His, alijsque modis mulcebat sensa Iosephj
Parua domus, sed quæ non paruos stabat ad vsus:
Namque sacrum viuo monumentū in pumice fecit
Quod premeret moriens, & dulci in pace quietem
Carperet, optatum supremæ lucis ad ortum.
Hæc mole[m] hanc viridi voluit consistere in horto
Religio, & tumulo tantos impendere sumtus,
Dulcia venturæ dum sperat tempora vitæ.

Certa fides fuerat, carnem cum sanguine nostrā
Cælestis regni solio non posse potiri
Ni prius in cinerem tumulo resoluta fatiscant.
Ergo vt supremam fati perpenderet horam,
Et nullam humanis vnquam spem poneret ausis:
His monitus signis, atque hæc exempla volutans,

Sede

IN HORTVM

Sede voluptatis media, viridique recessu
Triste parans bustum, signis ornauit & arte.
Ab quoties duro fessus molimine rerum
Deotum carpebat iter per amœna vireta
Spe reprimens curas, & corda oblita laborum:
Ab quoties palmas ad cœlum vtrasque tetendit,
Concepitque preces: Pater ô supreme, laborum:
Siste modum, & fatis tandem me subtrahere mundo
Molliter vt gelido componam membra sepulcro
Nascentes inter flores conseruis & herbas,
Hic vbi mille auium species dant gutture cantus,
Et blanda rerum auctorem cum voce salutant.
Hic liceat Nati vultum venientis, & ora
Expectare tui, quando cum murmure magno
Turbinis igniuomi terramque polumque cremabit,
Corporaque excibit tumulis, & sistet Olympo,
Quæsitoreque hominum vitas, et crimina discet. (Etas
Hic tumulus fuit artis opus: Quid pendula ian-
Mausolœa Pharos? Quid amœnis splendida signis
Educis monumenta, & molem ad sydera tollis,
Et myrrha, & fumis mos est condire Sabæis?
Namque sacerdotis perfunctus munere summi
Filius ipse Dei felicia busta Iosephi
Lustravit moriens, veroque sacrauit honore
Dum sua in ipsius componit membra sepulcro.
Illa domus certè est sanctis ornata figuris
Quã voluit pater ipse hominum, mundi que redetor
Postha-

D. EVSEBII MENII.

Posthabitis passim coluisse tot arcibus orbis.
Idem qui positus lustravit busta Iosephi,
Ille etiam tumulos sacrauit, & antra piorum,
Non opus est illis lustrali aspergine lymphæ,
Nec qui Romana defertur puluis ab vrbe:
Sed metus ille foras fido de pectore agatur
Omnia suffundens inamæno horrore sepulcri.

Hæc super egregio, pro tempore, lusimus horto
Propter aquæ riuum prostrati in gramine molli,
Dum florum aspectu mæstos recreamus ocellos.
Cætera per terras torpent penè omnia luctu,
Tàm tristis rerum facies, miseræque ruinae
Ante oculos, fatisque agrè obluetamur acerbis.
Aspice quàm cupidè suspirent omnia finem,
Principium æterni Veris, quo cuncta latebris
Condita, perpetuæ data inibunt lumina lucis.
Illa dies dulci amplexu fidissima quondam
Pectora coniunget, quæ mors dissoluit acerbo
Funere, & ante diem spoliauit lumine vitæ.

EPITHALAMION MAR-
TINI HELFRICI
FRANCI.

Vas tibi, quas referat mortalia pectora grates
Caste Deus, qui res nullo de semine passim
Vi dicente creans, tandem sub fine laborum
Sanctius

EPITHALAMION.

Sanctius his animal, diæque capacius auræ
Formasti tellure rubra, tuæ imaginis instar
Inscribens animo, gaudensque quiescere tandem
In stirpe humana, cessasti à sorte creandi.
Mox in tergemino consultans ritè senatu
Per gnatum instituis casti inuiolabile fœdus
Coniugij nemore in sacro, qui ductor & auspex
Adamo sociam iunxit, qui deinde Rebeccam
Ad fontem riguis implentem dolia lymphis
Disposuit iuueni Isaco, sacramque dicauit:
Et nunc per populos iura intemerata cubilis
Seruat adhuc, castoque duos dat amore potiri:
Te te obtestamur pater optime, destrue porrò
Quæ pugnant cum lege tua fœdera ausa malorum
Spirituum, & prohibe infandos à cordibus ignes:
Misceat ille tuus nostris se sensibus intus
Spiritus, ac sese mentes habitacula præstent
Viua tibi, degantque tuæ benè congrua menti
Cuius ad effigiem finxisti in origine prima.
Tuque ô Chryste tuo pariter cum Flamine sancto
Qui primus vitæ socialis iura dedisti,
Ne vaga flamma foret, sed enim mox sancta duorum
Corda hominum Verbo, castoque in amore ligasti:
Adsis ô, priusque iuues pia fœdera amantum
Numine cepta tuo, tu castum ritè secundes
Coniugium, & sancti decus assere vbiq; pudoris,
Fac nostros maneant eadem iura integra natos.

Nunc

EPITHALAMION.

Nunc quoniam Martine tuis aduenimus ipsi
Gratatum tædis Phyliræ sub mænibus vrbis
Quâ sedes sacra Aonidum, qua deinde periti
Mille viri exercent dulces insigniter artes :
Nos de more pio, quo non insignior vllus
Relligione patrum nostros permansit in annos
Ut fortè ad thalami sacrum solenne vocati
Sermonem inter se sanctis de rebus haberent,
Qualis Adam sacra ipse thori cùm fœdera iniret
Multa super sponsa memorans, castosque hymenæos
Diçta dabat : Dehinc crine potens Manoëius heros
Ex more hospitibus doçta argumenta vocatis
Proposuit, cæcis verborum ambagibus vsus.
Dicemus vestris gratantia carmina tædis,
Et quibus officijs castum seruare cubile
Vult Deus, & quæ cura viri, quæ coniugis esset,
Ut placidam possent, & sanctam degere vitam.
Nã tibi cura domum regere, atque aliunde profe-
Excipere hospitio ciues, gratisque fauere (Etos
Officijs, velut acer Abram te exceperat olim
Nate Dei, viridi migrantem in limite Mamræ.
Cætera quæ passim celebrant pro carmine vates,
Omnia iam vulgata : Quis aut ex ossibus Euam,
Aut tellure rubra formatum nescit Adamum ?
Aut quibus indiçta est Galilæis Cana sub oris
Quâ vitrei latices Bacchi didicere saporem ?
Sed tua me virtus, nec non spectata voluntas

e

Suavis

EPITHALAMION.

*Suavis amicitia monet hunc tractare laborem,
Quarentem dictis quibus, & quo carmine tandem
Docta tuæ possim solatia pangere menti
De genere hoc vitæ, cui te Martine dicasti.*

*Principio cum iam cœlestia fœdera rupit
Primus homo, & morti sese, et genus omne futurum
Subderet Eua parens, blandis heu credula dictis,
Præcipitemque virum sua secum in fata loquendo
Attraheret, nimium ore potens, & munere fandi:
Tum prior aggreditur Deus hanc: Nunc Eua ma-
Iussa pati, imperijsque suis parere memento. (riti
At te prima mali labes, tu perfida metas
Primum excessisti, tu iura immunia, & omne
Vertisti imperium malè agendo, & multa loquendo,
Nunc cede imperio, & iussis assuesce mariti.
Mas erit ipse tibi caput, hinc tibi signa futuri
Seruitij à summa pendent velamina fronte,
Liciaque insertis caput innectentia nodis.
Respice ad hoc, ego sum claro quem numine cernis
Mandantè has leges, teque hæc sub iura trahentem,
Me propter, qui iussa fero, submitto mentem
Eua viro, simul hæc in cognitione, fideque
Eua mei Nati fiant: Non vlla probantur
Facta Deo, nisi facta Fide, sunt cætera labes.
Felix sorte tua, qua si contenta fuisses,
Mansisses regina orbis, sed concita fastu
Esse Dea optabas, atque inconcessa petebas*

Regna

EPI THALAMION.

Regna tibi : nunc ergò iugum, nunc frena mariti
Disce pati, placideque huius te lege teneto
Cum fas, & pia religio, cum pòscit honestas :
Hunc cole, & huic vni te casto in amore reserua
Officijs vincens, nec non moderamine morum.

Tu verò, superat maior cui pectore virtus,
Unde viro tibi nomen inest, tu concipe curam
Infirmi sexus, vnam hanc tibi fœdere iunge,
Et iunctam constanter ama, procul omnis amaror
Exulet, & dulcem consensum pectora vtrinque
Spirent, & pariter certent in amore fideli.
Durū à stirpe viris genus, experiensq; laborū est,
Mollibus officijs muliebri, & amoribus aptum.
Regna viri fortes teneant, queis bella gerenda,
Fœmineæ curæ, pariendo educere prolem,
Atque pudicitiam seruare, & parcere parto.
Una igitur mens sit, velut vno è corpore natis,
Vna salus vobis, vnum, & commune periculum,
Ite, ait, & sanctis traducite legibus æuum.

O sacer, & fatalis amor, qui semina cœlo
Deducis, (nec enim credo sine numine Diuūm
Concordes animæ casu iunguntur in vnum)
Quis potis est dignas pollenti carmine laudes
Pro meritis memorare tuis? tu bina duorum
Corpora in vnanimi coniungis fœdere mentis.
Ut tristis sine Sole dies, sine sydere nox est,
Sic sine prole domus, sic est sine compare lectus.

e ij ergò

EPITHALAMION.

Ergò ubi primus amor deceptum morte fefellit,
Ne fors omne datum perdas inglorius ævum,
Nec tecum domus hæc adeò deserta maneret,
Legitimos iteras fato ducente hymenæos
Qui genus egregium Francorum à sanguine ducis
O nulli veterum Martine indignus auorum,
Cui fata indulgent, & cui nova gloria surgit
Connubio tali claræ pietate puellæ,
Cui pater vt miseris proferret fata medendo
Miscebat succos, & sanas gnauiter herbas.
Hinc nullo moriturum æuo stat nomen, & ingens
Gloria virtutis, Phyliræ quâ rura pererrat
Cæculus, & leni decurrens agmine Elister.
Et virgo ipsa quidem dulci quæ nomine gaudet
Margaridos, nomen pulcris virtutibus implet.
Nam ceu concha maris sitiens, ex æthere rorem
Haurit, & in crusta gemmam parit inde nitentem:
Sic fouet hæc complexa fide sub pectore gemmam
Quam fatus ipse Deo nobis per munia verbi
Diuidit, & cupidis animis promittit habendam.
Ergò Dei verbum velut alnum ex æthere rorem
Hæc auide sitit, & sparsum patula imbibit aure
Diuinis saturata bonis, quæ pectus anhelum
In dubijs recreant, & viua leuamina præstant,
Non secus ac cordi quæ conchis ædita gemma est
Auxilium venit, & tabentia pectora sanat.
Adde quòd his gemmæ virtutibus æmula certat,

Subsi-

EPI THALAMION.

Subsidiumque viri, magnis languentia curis
Corda leuat, iam iamque viro se accommodat ipsa
Moribus, & factis, animoque ad cuncta parato,
Seu bona sors faueat, seu casum inimica minetur.
Nempè hæc gemma refert simulacrū, atque instar
Cōiugis, et quæ cura domi sit tradita cuiq; (honestæ
Virtutum simulacra Deus conscripsit in ipsas
Naturas rerum, totumque expressa per orbem
Prouida cura Dei mentes conuincit, vt ipsæ
Et statuunt aliquem esse Deum, simul omnia ad in-
Iusticiæ finxisse suæ, legemque tulisse (star
Vt sese teneant qua sunt in sorte creata,
Autoremque boni referant in imagine & actis.
Primus homo, dum nempè stetit res integra vitæ,
Naturas penitus cognouerat: huic Deus ipse
Scire dedit rerum causas, & nomina, & vsum.
Ergò vt gemma micat conchis inuenta marinis,
Candida, labe carens, forma conspecta rotunda:
Talem se factis referat matrona probatis
Virtute exuperans muliebri, & laude pudoris,
Et decus ipsa viro, & dulcis medicina laborum.
Et velut ad tactum alterius sua subtrahit ora
Concha domo conclusa, suis nec sedibus exit:
Sic teneat se casta domo, & sua limina seruet,
Vt Venerem in concha stantem depinxit Apelles.

Ergò aliquæ vt gaudent tam dulci voce vocari
Margaridos gemmæ: sic & virtutibus ipsis

e ij Cum

EPITHALAMION.

Cum gemma certent, & texta monilia gemmis
Quæ sæpè in leui gestant lucentia fronte,
Officij moneant, ornent virtute maritos,
Qualis gemma nitens fuluo quæ includitur auro
Est collo decus, aut capiti, passimque tuentum
In sese ora trahens aspectu pascit amæno.
O quibus est igitur consors, quæ dotibus istis
Instar habet gemmæ: ne quæso pendite parui,
Suprà aurum, et suprà gemmas virtutibus illa est.
Quare omni cura vigiles incumbite, ne quæ
Aut animo fractæ, aut victæ mærore fatiscant,
Tenuis enim est illis vigor, impatiensque laborum,
Utque acido suevit contacta liquecere Baccho
Gemma micans conchæ, sic & resoluta peribit
Ante diem, si qua est mores experta seueros,
Et duri tot acerba viri tolerare necesse est.

Tu verò in tenebris solis, thalamoque relicto
Cū vitam afflictam traheres, tandē omine dextro,
Nec sine mente Dei medicos ingressus in hortos
Præ reliquis herbis quæ corda leuare feruntur,
Præflorum succis, præ gemmis omnibus vni
Margaridi aspirans, votis, & mente petisti
Quæ recreet vires, quæque vnica gemma decori
Sit tibi, quæque graues auerteret vnica curas.
Vtere concessis, nec te Sponse optime voti
Pæniteat, nec te pactæ Sponsa optima tædæ.
Viuite, & egregios generando educite natos

Quæ

IN DIE CATHARINAE.

Quæ vos & vultu referant, & imagine morum,
Et sancta maneant in religione parentum.

IN DIE CATHA-
RINAE.

V mihi principium, tu finis carminis esto
T Nate Dei, per quem flammantia mœnia cœli,
Et maris undisoni tractus, inclusaque tellus,
Edita de nullo ceperunt semine rerum,
Per quem quicquid agit genitor, siue ille loquendo
Impleret populum, aut magnis se ostenderet ausis,
Magnus agit genitor, tu magna potentia solus,
Eloquiumque patris, coramque es numine prasens
Cum populi tua facta canunt, & facta parentis:
Quò magis æternum dictis da Christe leporem,
Et mea diuina perfundas carmina luce.
Nam tu Christe potes cœlesti luce replere
Mortales: quoniam tu lux de luce paterna
In tenebras mundi veniens in imagine carnis
Omnem hominem illustras cœlesti desuper aura,
Etque tuo viua descendit Spiritus ore
Quo nostræ mentes, et nostra opera omnia feruent,
Quo sine nec quicquam dias in luminis auras
Exoritur, neque fit lætum, nec amabile quicquam.
Hunc tu Christe tuo spirantem è corde, patrisque
Irradia super, vt suaves ex ore loquelas

e iij

Expeditam,

I N D I E

Expediam, dictisque illustrem commoda vitæ.
 Quandoquidē laudes canere, atque extendere dictis
 Facta Dei, exuperat terris opera omnia rerum:
 Cætera, mundanæque ingentem molis aceruum
 Una dies dabit exitio, nec machina cœli
 Alta, volans, poterit fines procellere fati
 Communis tandem: manet, æternumque manebit
 Illud opus genus humanum, quod carmine laudes
 Æthereas & facta canet, semperque recenti
 Intuitu patris æterni sua lumina pascet,
 Quâ manifesta patens ex omni parte relecta
 Adparet natura Dei, sedesque quietæ,
 Quâ neque conflagunt venti, nec noxius aër
 Infestam reddit regionem: at candidus æther
 Integit, & largè diffuso lumine ridet,
 Cunctaque suppeditat genitrix natura, nec vlla
 Res animi pacem turbat mærore, sed omnem
 Esse voluptatem liquidam, puramque relinquit,
 Semoti à curis vt letam degere vitam
 Iustitia, sanctaque Dei sub lege queamus,
 Quâ citharæ liquidum carmen, numerique canori
 Per cœli reboant stellata, aurataque templa.

Nunc adeò quoniam Germanis condita fastis
 Lux oritur, quæ diua tuis Catharina dicata est
 Auspicijs, & quam falsa pietate repleti
 Maiores, studijs, tutclam, ac artibus olim
 Præfecere bonis, cœlatamque ære figuram

Ordinis

CATHARINAE.

Ordinis esse sui præclarum insigne volebant :
Hanc iuuenes lucem mecum celebrate fauentes
Qui doctas artes colitis, studijsque vacatis.
Sic & Cecropidas olim coluisse Mineruam
Accipimus, Iouis è cerebro quæ nata fuisse,
Præsida qua doctis florerent artibus vrbes :
Nec ratione caret : Doctrinæ scilicet omnis
Ipse Deus fons est, sed enim sapientia præstans
Absque Deo nulla est, & terris si qua fuisset,
Infaustis erat auspicijs, & numine læuo.

Ergò etiam studijs indicimus ocia nostris
Ocia, more patrum, lucem non amplius vnâ,
Luce secutura redeat labor actus in orbem
Cuique suus: Neque enim temerè hæc solennia nobis
Vana superstitio, veræque ignara salutis
Imposuit: sæuis seruati huc vsque periclis
Hos facimus Christo, meritosq; nouamus honores
Quòd pulchras artes, nec non discrimina fandi
Multa modis multis, in luminis eruit oras
Arte Philippe tua, qui missus ad Albidos oram
Inspector iuuenum, Graias, Latiasque Camænas
Primus ab Aonio deduxti vertice tecum :
Cuius & extincti propter diuina reperta
Undique terrarum iam ad cælum gloria fertur.
Nam quanquam Rheni regio, fœcunda Lyæo,
Rebus opima bonis, multa munita virum vi,
Et centum vna sibi præclaras extulit vrbes :

e v Nil

I N D I E

Nil tamen hoc genuisse viro præclarus vnquam
 Ipsi Itali testes, ipsi quibus aspera quondam
 Visa fuit doctrina viri, cum vincere verbis
 Aggressus fraudes Latias, iam ad sydera tollunt
 Nomen & acta viri, & quæ monumenta reliquit
 Aurea, perpetua semper dignissima vita,
 Accipiunt multò solerti mente magis, quàm
 Pythia quæ tripode ex Phœbi, lauroque profatur.
 Carmina quin etiam diuini pectoris eius
 Ingenium ostendunt, & non imitabile linguæ
 Mellifluæ donum, qua recto tramite posset,
 Et facili ratione viam perquirere veri,
 Ut vix humana videatur stirpe creatus.

Ergò quòd ingenuæ vixerunt hætenus artes
 Flore nouo, & iubare exorto doctrina refulsit
 Vera Dei, iunctique animis, & fædere sancto
 Egregij cætus vno omnes ore, fideque
 Communes hausere operas, studijque laborem,
 Interea res humanas dum occulta potestas
 Fatorum obtriuuit, penitusque à cardine vulsa
 Regna suo ingentes adeò fecere ruinas,
 Atque alibi mutata loco cum sanguine multo
 Relligio peperit animis discordibus iras,
 Nobis tuta quies, & nostris ocia Musis:
 Gratia Christe tibi, tibi nos debere fatemur,
 Acceptum & ferimus, tua quòd præsentia sese
 Conspicuum dedit, & clara cum luce refulsit

Stans

CATHARINAE.

Stans inter medias operas, cursumque gubernans
Fluctuagæ ratis, incassum assurgentibus vndis
Hinc atque hinc, reperit dū nulla humana viā vis.
Quanquā inter scopulos Scola nostra illisa pependit
Anceps, oppugnata diu, & fragor insuper ingens
Signa dedit: Stetit in medijs deprensa procellis
Secura Oceani, & præter vada feruida vexit
Immunes fati tamen, atque impunè quietos.
Quamuis tellurem liquidas effundat in vndas
Diluuiο miscens, & in omnes lubricus artes
Vertat se Satanas, & monstris territet vrbes:
State viri, & iussos sibi quisque vrgete labores,
Communēque vocate Deum, et date præmia laudū,
Haud equidē, haud anima vlla dabit discrimina no-
Quicunq; Albiacū violârunt crimine ludum, (bis
Supplicia, & scelerū pœnam expendere merentes.
Sit mihi fas audita loqui: vidi ipse Philippum,
Vidi oculos ante ipse meos hæc fata canentem
Egregio genero lacrymanti, & multa querenti
Ex illo, qui nos casus, quæ bella fatigent
Si senior fato concesserit: ille monendo
Sic contra ingressus: Vobis est integer æui
Sanguis adhuc, multaque insignes estis in arte
Seu lingua vultis, seu rem decernere scriptis,
Tantum animis gaudete æquis, sunt cætera vestris
Sub pedibus, vos exæquat victoria cælo.
Tempore iam ex illo vox hæc mihi condita mansit
Sancta

I N D I E

Sancta viri, voluique huius meminisse minores.
Viuite concordēs animis & viribus æquis,
Et sperate Deum memorem studij, atque laborum.

Hæc hodie meminisse iuuat: sed vt abdita quæ-
Accipiant animi porro, teneantque fideles: (dam
Altius incipiam causas aperire latentes
Quid priscam impulerit gentem proponere vulgo
Exemplum Catharina tuum, memorandaque facta,
Cuius pro nostris insignibus astat imago
Qui linguas teneris gregibus profiteamur, et artes:
Altius hæc repetens, maiorum arcana docebo:

Filia regis erat Costi, Salamine creata,
Virgo multorum spes inuidiosa procorum,
Vouerat hæc, fixumque animo, immotumque sede-
Ne cui se vinclo vellet sociare iugali (bat
Quam qui longè alios anteiret munere formæ,
Et generis fama, cui regna atque oppida multa
Capta manu, factique auri, infectique talenta,
Qui clarus factis, & dono mentis & arte
Omnibus ornatus posset præcellere donis.

Finitimis verò duris dolor ossibus intus
Ardere, ob formam egregiam, thalamosque nega-
Nulli fas regum castum ascendisse cubile (tos.
Virginis, in solis degebat montibus æuum.
Multi illam frustra vicina per oppida Reges
Optauere thoro, solo contenta magistro
Qui teneræ informet pietate, & moribus annos,

Æternum

CATHARINAE.

Æternum sacrorum, & virginitatis amorem
Intemerata colit, nubendi & tempore in ipso
Cum crinali auro, cum longæ tegmine pallæ
Ante Dei natum sacram se sistit ad aram,
Inque fide sociata illi, lustrataque rore,
Omnes illecebras mundi, cultusque superbos,
Fictilium & pompas, & sacra exosa Deorum,
Huic vni thalamos deuota paciscitur, vni,
Vni animis & amore pio sibi nubere fixum est.

Instat vi multa mundus, & vertere mentem
Ad fictos cultus, simulataque numina diuūm
Nunc prece, nunc precio cupit, & diuellere amore
Incepto Christi: sed nullis illa mouetur
Blanditijs, nullique animum flexere hymenæi,
Quò magis inceptoque, & sedibus hæreat iisdem.

His vbi nil egit Satanas, frustra que laborem
Ingratum traxit: tum notæ accingitur arti
Aggressus fictis mentem pervertere verbis,
Atque omnem in medium rationē adducit, vt ipsi
Sensibus argutis hominum qui in mente sagaci
Proueniunt, oculorum aciem præstringere possit.
Quinquaginta intus linguis, & in arte peritos
Constituere viros, qui mutua dicta puellæ
Conferrent, tenerumque animū in sua sensa refle-
Ipsa immota, tenax verbi, munitaque sacri (Etant
Numinis adflatu, sine verbo & numine sacro
Nequicquā instantes fugat, & mala dicta reuellit:

Si

I N D I E

Si nescis, Deus hunc ardorem mentibus addit.
 Quin etiam illa hostes, tum qui ratione valebant
 Præcipuos, ad sensa refert meliora, fidemque
 Ipsa suam, & Christi sub signa fidelia ducit.
 Virgo quidem, & tantis per campos vndique septa
 Doctorum agminibus, nitens cælestibus armis,
 Rettulerit spolia, & victos confuderit hostes?
 Huic comes hærebat iuxta, vocesque regebat
 Ipse Deo similis Michaël, qui nescia vinci
 Pectora, qui stimulis feruentibus impulit artus
 Virginis inflectens sensus, animumque labantem.
 Solus hic eloquijs formavit dulcibus ora
 Omnia mellifluo conspergens verba lepore.

Ergò tot incassum fando perijsse labores
 Dum videt: ecce alias subito conuersus ad artes,
 Illecebris, mundi que opibus, sceptrisque superbis
 Pellicere in fraudes, atque in sua castra puellam
 Nititur, & nusquam amittens, dona aurea dona,
 Sceptraque, & egregium soliorum ostendit honorè.
 At non illa animum subito in contraria vertit,
 Mens firmata fide contemnit inania verba,
 Non ita vincendi studio, quam propter amorem
 Christe tuum, mundi spernens sublimia regna:
 Ille meos, inquit, cum me sibi iunxit, amores
 Abstulit, illi vni placeam, & placuisse necesse est.

Ecce furens animis, & sauis efferus ausis,
 Contemtorque Dei Maxentius instat, & vrget

Irritus

CATHARINAE.

Irritus assultu vario, cæcisque puellam
Inclusam tenebris pressit penuria edendi,
Immunemque cibi lenta sic morte necasset,
Ni mox subsidio veniat demissa columba
Quæ vitæ auxilium ferat, & miseresceret vltro,
Et sanctis curas dictis auerteret agræ.
Tandem etiam imbellem, nec quicquam tale merentem
Criminibus terret fictis, stat friuolus index,
Horrentesque rotæ fixis mucronibus astant
Informis lethi genus, & iam iamque puellæ
Inijciuntque manus, vimque audent addere vincle,
Qualis thuricremas cum parua iuuenca, Deorum
Ducitur ante aras, succinctique ense ministri
Stant circum, et signum expectant, inhiantque sacra-
Ignibus, ut tandem magnis cadat hostia diuis. (tis
Sed precibus contra manet imperterrita virgo,
Diffringitque rotas, stimulosque in pectore vertit
Spiritus intus agens, donec vim viribus exit
Emissa ad Solem vacuum, & iam libera aperto
Ingreditur cælo, multosque ex ordine natos
Producit Christo, paruisque instillat alumnis
Sancta rudimenta, & precibus tenera ora figurat.
Nec deitari lethum pote, perfidus ex quo
Maxenti furor exuperat, cadit icæta securi,
Auulsumque humeris caput est, et sanguine tellus
Spargitur innocuo: sed enim, mirabile visu,
Præciso collo defluxit lactens humor,
Infecitque

I N D I E

*Infecitque solum, pinguique liquore rigavit,
Cum subito excipiunt animam famula agmina cœli
Ante oculos, corpusque leuant frigentis, & illud
Fama est legisero Sinai sub monte tulisse
Atque oleæ pinguis latices sudasse sepulchrum.*

*Hac memorata tenus fuerint monimenta priorū,
Ficta quidem, sed quæ veros sub imagine sensus
Contineant, veluti clauso sub cortice quondam
Aërij mellis flauus latet abditus humor.*

*Non equidem talem rerum natura puellam
Vnquam progenuit, nec in ætheris edidit oras.
Impia relligio, & veterum commenta deorum
Iampridem pedibus subiecta teruntur, & auras
Effugiunt clara verbi iam in luce, pauentque
Conscia: nos contra flectit doctrina gubernans.
Sæpè sed in fictis sensus latet, abdita si quis
Adiutus ratione potest perquirere, & altas
Pandere res, vmbriis verborum et imagine tectas.*

*Credula gens hominum, soli gens dedita Christo,
Virginis huius habet specimen: quia sanguine spar-
Et verbo purgata nitet, velut æmula Soli, (sæ est,
Flamen eam sacris postquam lustravit in vndis.*

*Perque fidem prognata Deo, nunc filia Regis
Dicitur, Hebræi Chesed quem nomine dicunt,
Et cui respondet Romanum gratia nomen.*

*Hæc falsos cultus, & sacra impura Deorum
Abiurans, te Christe colit, tibi pectore adhæret,*

Inteme-

CATHARINAE.

Intemerata tua gaudet se lege teneri.
Hæc suscepta virum manibus, vatumque piorum
Deducta est ad te solenni more sacrorum
Sic pacto thalamo cum sacrae aspergine lymphæ
Fœdera prima iniit tecum, propriamque dicavit.
Hi sunt qui lateri hærebant, animumque regebant
Matura iam ætate viri, vatesque sacrati
Semoti à vulgi strepitu, luxuque maligno.

Ergò superba pati fastidia cogit amantes,
Vni animis, vni vinclo coniuncta tenaci
Qui longè ante alios forma pulcherrimus exit
Supra hominum formam: diuini signa decoris,
Sydereosque notate oculos, quem pectore, quem se
Sublimi gerit incessu, qui Spiritus illi,
Qui sapiens vocis sonus, & prudentia rerum,
Quam genere insignis, quã magnis inclytus ausis,
Quam diues rerum variarum, et gratiæ abundans.
Huic sponso tantum egregio decus enitet ore,
Quem sibi consortem delegit ab omnibus vnum,
A quo lumen habet generis, vigor illius vnde est,
Et formæ decus, & sanctæ sub pectore dotes,
Quicquid opum et cæli domus aurea continet in se.
Sola potens regina orbis, sola ætheris alti est,
Diuinæ consors auræ, consorsque bonorum
Quæ tu Christe tenes, & quæ tibi sanguine parta.
In te præ reliquis vnum suspirat, & almo
Pascit amore avidos inhians in te bone visus,
f Eque

I N D I E

*Æque tuo pendet viuentis spiritus ore,
Te præter neque tellurem, cælumue moratur,
Qualis ab Adami fuerat quæ condita costis
Ante suos lapsus æterno fœdere amoris
Eua virum amplexans vno requieuit in illo
Freta viri virtute, opibusque & sanguine claro.*

*Hei mihi quàm passim cum sorte fatigat iniqua,
Quàm duris telis hanc impetit arbiter Orci
Subdolus, horriferos expirans faucibus ignes. (est
Hanc miseram contra, quæ nunc tanq̃ altera structa
Eua noua ex Christo vitam expirante per Aram,
Atque quiescenti simili, penitusque iacenti.*

*Quandoquidẽ vna salus, vnũ, et commune pericliũ
Est sibi cum Christo, quo gaudet credula sponso:
Vt mala nunc perfert, ita eam sors leta sequetur,
Maestasque, decorque, & consors gloria regni.*

*Principio hanc tẽpli pinnarum in vertice sistit,
Vnde omnes mũdi illecebras, pompasque superbas
Displicere, & varias queat vltro inquirere terras,
Insidiasque struit, mendacique improbus ore
Oppugnat latere ex omni, speciosaque promit
Argumenta crepans, & inobservata sacrorum
Palliat in speciem portenta, & subdola monstra,
Tandem vt anhelantem, & diræ caliginis vmbra
Palantem à verbo deducere tramite possit:
Quinquaginta olim multa velut arte periti
Commutasse sonos tecum Catharina feruntur*

Quò

CATHARINAE.

Quò labefactarent animum, verboque reuellant:
Tu contrà audebas, dictisque immota manebas.
Haud secus hæc verbo assidue subnixa, fideque
Quam primum Christo dederat, conuincere dictis
Ingreditur contrà quicquid ratione creatum
Luce caret verbi: pluresque ex agmine tali
Ad meliora refert, monstratque insistere Christo.
Dumque ita luctando pugnat, dum brachia iactat
Penè fatigata, & dura sub mole fatiscit:
Excipit extemplò, reficitque in prælia vires
Ponè sedens Michaël, summo satus ille parente,
Atque novos adhibet stimulos, vimque excitat intus.

Deinde alia ratione alias exuscitat artes
Hostis atrox, multaque linit dulcedine mentem
Pollicitis tentans, & spe prædiuite lactans,
Mente premens odium, liuorem fronte serenans,
Blanditurque, paratque aditus, fingitque loquendo
Sed sine mente sonos, sed pondere inania verba.
Qualibus ante Euam verbis stetit, eia age poma
Carpe manu, tu nunc magnæ dominabere terræ,
Te Dea, te metuent venti, te nubila cæli,
Incessuque tuo tibi molles cælituum gens
Submittet palmas, tibi rident vesper & ortus,
Quorum frena geres: (qualis Mahometicus hostis.
Et Cacus Ausonius rerum dominantur habenis.)
Denique quicquid habet diues circumspice mundus
Posce, feres, si me prono venerabere vultu.

f ij Sed

I N D I E

Sed facile angustis tolerans in finibus ævum
 Respuit imperia, & leuiter curare fatetur
 Auri, atque argenti memorat quæ multa talenta
 Respiciens cælo quali potietur honore,
 Atque tenax verbi, procul hinc, procul ipse faceffas
 Voce refert, venerare Deum, cui vota per orbem
 Debentur soli, & dios largimur honores.

Exin & valido labefactans ariete mentem
 Christicolæ gentis, magnaque instructus opum vi
 Fundamenta quatit, totamque à sedibus imis
 Doctrinam miscens, vinculis & carcere claudit
 Præripiens quicquid viuendi flagitat vsus,
 Siue fame exhaustam frangat, seu carcere longo.
 Sed non amplexu patitur se auellere Christi
 Siue fame longa miseram, vinculisue fatiget:
 Non equidem soli Cereri hæc concessa facultas
 Membra alere, & dulci ieiunia soluere libo:
 Vis ea inest verbis, semper quæ viuida manant
 Ore Dei, & vitam recreant, satiantque fideles.

Hos inter motus medio in discrimine vitæ
 Spiritus adfulget fessæ, simulansque Columbam
 Ambrosia reficit mentes, & nectare pascit,
 Et lenit dictis animos, & pectora mulcet.
 Ergo fame in media læta incrementa capessit,
 Sana magis, quàm si rerum frueretur abundè:
 Luxuriant animi quando fortuna benigna est,
 Et cum relligio premitur, conspectior exit

Tum

CATHARINAE.

Tum magis, atq; magis, quàm si contenta quiete est:
Floret enim in spinis, & ab aspris sentibus exit.

Postremò et ne quid Satanus ibi linquat inausum
Vimque dolumque simul miscens ita turbidus in-
Consiliũque capit, calamosq; armare veneno (stat,
Apparat, & diro consultum sanguine scribit,
Tela simul, cumulatque cadauera cæde piorum
Urgens supplicijs alios, radijsque rotarum
Districti pendent alij, vitamque profundunt,
Verbera, carnifices, robur, pix, lamina, tædæ,
Omnia pœnarum genera, & discrimina lethi
Omnia tentantur, simul omnes aduocat artes
Virginis in fatum miseræ, mortemque minatur.

At deserta, gemens, nulla munita virũm vi,
Stans inter medios enses, formasque leonum
Irritantũ iras, seseque in bella mouentũm,
Quid faciat, qua spe, qua vi, quibus exeat armis,
Si non in precibus solis sacra ancora restet,
Quandoquidẽ his armis melius nihil ipsa reliquit.

At pater omnipotens, vt celsò in vertice cæli
Constitit, & positis defixit lumina terris,
Consilia in risum vertit bonus, inde sed auræ
Omnia discerpunt, & nubibus irrita donant.
Et simul increpitans subitò insurrexit in iras,
Fulmina molitur dextra, quibus omnia latè
Dissipat, & magnum percurrunt murmura cœli
Vt populi, gentesque tremant, regesque superbi

f iij Concipiant

I N D I E

Concipiant diuûm percussi corda timorem
 Ne quod ob infaustum auspiciûm, moresq; sinistros
 Supplicij graue sit soluendi tempus adactum:
 Qualis correptus reuoluto turbine ponti
 Infelix Pharao vitam exhalauit in vndis,
 Armaque, corporaque, & permisti cade virorum
 Præcipites voluntur equi subitò ad vada lethi.
 Inde alij multi reges, rerumque potentes
 Occiderunt, fera facta pijs cum multa dedere.
 Lumina sic etiam vitæ Maxentius asper
 Liquerat: & qui te Galilæe in morte vocabat
 Telum immane manu eripiens, spargensque cruore,
 Lumine adempto animam transfixo pectore fudit.
 Usque adeo sæuos ausus, viresque superbas
 Proculcare, ac ludibrio sibi habere videtur.
 Quare agite, vt nobis solatia vera supersint,
 Effractas Catharina rotas in imagine gestans,
 Irrita consilia, & vanas esse arguit iras
 Quas superûm in regem soleant spirare Tyranni.
 Tandem ob reliquias culpe que in corpore adhæret
 Ipsa etiam fato est obnoxia: sed fluit humor
 Lacteus è collo, letumque exudat oliuum
 Et tumulo: Sic namque sacri fiducia verbi
 Solando firmat dubios, vt credere pergant,
 Neu fracti abijciant verbum formidine mortis:
 Sanguine Christicolûm Pietas, ceu semine, crescit.
 Morte obita verò regna ad cælestia fertur
Aligerûm.

CATHARINAE.

Aligerum manibus sublata, & morte quiescit
Dum læti incipiant mundi procedere soles,
Et tumulis excita iterum referantur ad auras
Corpora, in occursum residentis in Iride Christi,
Cum tuba, cum rauco strepuerunt cornua cantu,
Et pompæ incipient, expectatiq̄ue triumphi.

Interea hanc tu Christe scolam tua sacra sonan-
Coniunctosq̄ animis ipsi, cætusq̄ docentum, (tem,
Discentumque artes, præsentî numine firma:
Tu Michaël par ipse Deo, qui friuola perdis
Consilia, infandosq̄ue ausus qui bella minantur,
Frange minas, frange iniustas ad prælia vires
Ne nocuisse queant, si qui nocuisse laborant:
Tu mihi principium, tu finis carminis esto.

IN NATALEM DO- MINI.

Lapsus vetus est, & iam nouus incipit annus
Cum puero nascente nouo, qui triste piaret
Adami veteris crimen, precioq̄ue redemptos
Sanguinis, antiquos iterum reuocaret ad ortus
Ex quo decidimus decepti fraude Draconis.
Nunc dum tempus adhuc mutadis moribus, & diè
Insuper indulget superum clementia, nec iam
Immissis latè furor aestuat omnis habenis,
(Quantq̄ ô, ni superi scirent quoque parcere iniquis,
Iam lue, iam ferro absumti, & grassantibus armis
f iiij Funditus

IN NATALEM

Funditus occidimus, nec haberet vita regressus)
Linquamus veteres mores, vitæque prioris
Cū iam pertesum est, rectumque, bonūque colamus
Corde nouo, quo deinde nouus puer aduena terris
Per fidei lucem sibi pura sedilia figat,
Quæ colat, & cum patre suo, flatuque sacro
Æternis habitet seclis, nec sola relinquat
Lucis egena suæ, sacrique expertia flatus.

O noua progenies, summo quæ missa parente
Venisti in terras infectas crimine auito
Ut sancta carne & sancto cum sanguine lustres,
Supremum aduenias iterum precor, & noua finge
Omnia, quæ vetera, & iam olim collapsa fatiscunt:
Effice ut inde noui mundo illucescere soles
Incipiant, penitusque annorum intercidat omnis
Ordo vetus, veniantque nouo noua singula seculo.
Ne veteri, ne vos mortales credite mundo,
Quippe vbi nulla super pietas, non iura, fidesque,
Quocunque error agit quæque, et maleuada cupido
(In facinus iurasse putes) ita turbine cæco
Fertur in abruptum, nec crimine viuatur vno,
Et multos scelerum delectat fama suorum,
Nec quæ circumstet densissima turba malorum
Cæca mente vident, quàm sæuus & efferus hostis
Vsque ab hyperboreis progressus milite campis
Ceruici immineat nostro: quàm deinde timendum
Ne mala vicini noceant contagia belli,

Quàm

DOMINI.

Quàm cœli infecto tractu, & qua viuimus aura
Certa lues instet nobis, quàm lethifer annus
Arboribusq̄, satisq̄ue, et quàm corrupta per agros
Pascua dent stragem pecori: stat tristis arator,
Omnis & agricola, atque animalia tabe recepta
Strata vijs animam deponunt omnibus ægram.

At quotus afficitur damnis, veniamq̄ue preca-
Securi pœnæq̄ue, Deiq̄ue peregrinus æuum (tur?
Sorde voluptatis mersi, vinoq̄ue sepulti.

At non pœna sepulta iacet: succincta flagello
Insonat, inq̄ue dies auidum caput altius effert,
Et miseranda lues stygijs emissa cauernis
Multa virum tristi demittit corpora letho,
Sanguineusq̄ue furi Mauors crepitantibus armis,
Non ipsi inter se populi, non turba potentum
Pace agitant æuum, sed ruptis legibus arma
Arma fremunt latè, faciesq̄ue miserrima rerum est.
Dij placidi seruate pios, monumenta supersint
Christe tuæ gentis, penitus ne gloria, & ingens
Fama tua, & verbi lux victa fatiscat in orbe,
Quod te per patrem, & patris spirabile numen,
Per te, per tenera obtestor cunabula, & ipsa
Vulnera, & exceptas insonti in corpore plagas.
Nanque tuis precibus genitor nil denegat vnquã,
Ante illum effusus quoniam pro gente rogando
Christe tua, solus patriæ obluçtatus es iræ
Supplicia in te vnum vertens, sæuumq̄ue furorem,
Dum tandem in fragiles humilem te colligis artus

f v

Vt no-

IN NATALEM

Ut nostri generis consors, & sanguinis esses.
Pro quibus, & cæli chorus omnis, & agmina latè
Credentum in terris hodie te Christe, tuumque
Natalem celebrant, & ouantes gutture claro
Lætitia plausuque diem, cantuque frequentant.

Ipsa adeò rerum series, & consonus ordo
Natura rerum, stabili quo sorte feruntur
Omnia, & obseruant sua res discrimina quæque,
Et cum suspicimus magni cælestia mundi
Templa super, stellisque micantibus æthera fixum,
Affirmare animos subigunt, non impete cæco,
Fortuitoque, vagoque, inconsultoque tenore
Molem confluisse orbis, temereque coisse.
Ipsaque notities nascens in origine prima
Non dubiam facit inde fidem mortalibus agris
Esse Deum, qui consilio tot semina rerum
Ordine quæque suo, & sapienti mente creauit
Iusticia pollens, nec fallax ore, nec ausis,
Liberè agens, vindex scelerum, & dans præmia
Immunda exosus labè, castissimus vnus. (rectis,
Motus ob hanc causam, cum primis cõdidit om-
Naturã rerum, quò sese ostenderet orbi, (nem
Atque palàm fassum daret, & bona propria mētis
Ipse creaturis sensu & ratione sagaci
Instructis genitor faceret communia secum,
Vnde celebrari queat, agnosci que vicissim.

Ergò ut eum passim propiori lumine mentis
Aspicerent

DOMINI.

Asspicerent homines : tandem se prodidit illis
Voce sua, & numen testans haud omine falso
Isacidum genus à Pharia tellure reduxit,
Atque anima cassos etiam renocavit ad auras.

His motæ signis, firmatæ & talibus ausis
Exactum mentes habeant, quòd sancta per orbem
Agmina conscribat vocali in munere verbi
Ipse pater superùm, nullo quæ sine per ævum
Ipsam laude vehent, atque ipsius acta sonabunt :
Quòdque sonans latè in terris doctrina salutis
Vera Dei veri proponat dicta, nec vsquam
Labilis immoto verax fundamine perstet :
Consilioque patris demissam cœlitus orbi
Progeniem credant, cuius de sanguine fuso
Non alio vllius precio, iam labe piata,
Placatoque furore Dei, proiecta hominum gens
Rursus in antiqui referatur fœdera amoris
Tutelamque Dei, rursus ut commertia vitæ
Contraheret, propiorque Dei se luce teneret.

Hic operis tanti finis, manifesta que caussa est,
Quam dum perpendunt animi, secumque volutant,
Horribiles iras discant in crimina nostra
Quas non placari voluit, nisi sanguine nati
Unigenæ genitor : Dehinc è regione vicissim
Aspice diuini monumentum & pignus amoris
Erga hominũ mortale genus, quibus hostia talis
Obtigerit nostram propter mactata salutem,

Cuius

IN NATALEM

*Cuius ob officium, preciumque in morte solutum
Denuò in antiqui attraheret consortia amoris.*

*Hæc duo cū versant homines : metus occupat in-
Omnẽ animum terrore Dei, spirãtis anhelas (gens
Irarum flammæ, & murmura sæua mouentis.
Nec minus in mentem diuini vt venit amoris,
Rursum animi exultant plausu, lætiq̃ue vicissim
Hæc bona suscipiunt, & figunt oscula nato,
Natum amplectuntur, veniãq̃ue precantur ab illo
Qui medias partes agit inter nosq̃ue, Deumq̃ue,
Mentem, consiliumq̃ue suum cui credidit vni
Æternus pater, atque vni sua sensa retexit.*

*O genus infelix humanum, ô ferrea corda,
Quis dignè afficitur curis pro munere tanto ?*

*At velut aligerũm turmæ rutilantibus alis
Natali sub luce tua, dulcissime Christe,
Tractibus aërijs volitant, & carmina dictant,
Custodesq̃ue monent ouium sub nocte serena
Tendere iter Christi tenera ad cunabula, & ipsum
Visere compositum tardi ad præsepia aselli
Ruricolæq̃ue bouis, pannis, fœnoq̃ue volutum,
Et stellæ docuere viam, gressusq̃ue regebant
Heroum qui sese extremo Oriente mouebant
Hunc regẽ vt peterent, & prosequerentur honore:
Haud secus hi qui sacra docent, præsumtũe iuuentq̃,
Aligerũm exemplo Christo pia carmina dictent,
Et tenerum adducant cœtum ad cunabula Christi,
Astent,*

DOMINI.

Astent, aspiciantque animis duo fœdera stirpis
Diuersæ penitus, sed quæ sic venit in vnum
Mirando nexu, quem nulla humana capit mens.
Fas igitur celebrare Deum, & persolvere grates,
Quanq̃ hominum supra sensum est sapientia talis
Disita consilij tanti, longeque remota,
Quam quondam exempti mortali sorte, tuentes
Clara luce Deum, superum discemus ab ore:
Prima rudimenta, atque apices attingere primos
Mortales voluit genitor tamen, atque neceßè est
Partem operis tanti gustare in limine primo.

Ergò humilis quanq̃, nec par his rebus & ausis
Cura sagax animi, tamen est accepta parenti
Æthereo, si mente iterumque iterumque reuoluunt
Quis veniat Deus ille, Deus qui virgine natus,
Cur patris hic sermo, cur patris imago feratur,
Cur tuus Immanuel qui tecum gaudeat esse
Nusquã abiens, semperque suo tibi flamine presens,
Quàm res mira homini, quàm nullius obuia menti
Naturæ geminæ persona nexus in vna.

Nunc quo fine Deus cœli descendit ab arce
Exposui dictis, patrias vt scilicet iras
Placaret bonus, atque iugis absolueret Orci
Detentum mortale genus: nunc percipe porrò
Quid Patrẽ impulerit gnatum demittere Olympo,
Et vita insonti mulctatum subdere morti.

Cùm simul & iustus vindex habeatur, & idẽ
Immenso

IN NATALEM

Immenso nostri clemens ab amore liqueſcat :
Sic miti tamen indulget placatus amanti
Dum miſeros recipit, tamen vt non concidat vſquã
Iuſticiã rigor ille ſuã, diuinaque norma.
Ergò iuſtitia decernens, atque fauore
Temperat illud opus quo nos in fœdera prima
Suſcipit, in partemque locat ſtellantis Olympi.
Legis id officium eſt, ni morem quiſque geramus,
In foribus pœna eſt, quam nos haurire merentes
Continuò ſubigit : Sed enim cùm deuia pœna
Vertitur à nobis in ſummi patris alumnum :
Ecce ſatiſfactum eſt legi, nec iam amplius vllum
Supplicium inſandum luimus, qui munera Chriſti
Parta cruore ſuo fidenti corde tenemus.
Nec temerè pœnam abiiceret, ſi ſanguine Nati
Unigenæ, inſontis, non compensata fuiſſet.
Tum primùm mites animos, mentemque benignam
In genus accepit noſtrum : clementia patris
Tum demùm in lapſos homines manifeſta reſecta eſt.
Sed cur diſſimiles ſpecies, diuerſaque texta
Naturæ geminæ pariter venère ſub vnum ?
Dum commiſſa lues homines damnauerat Orco,
Fas aliquem pœnas humana in gente ſubire.
Utque æquè pretij valor his reſpondeat auſis :
Maieſtas æterna, triplex, decreta ferebat
Natus vt omnipotens ſatus omnipotente parente
Supplicia hauriret, pœnamque exolueret omnem :

Nec

DOMINI.

Nec quisquam alituūm ex numero, reliquīsue crea-
Iram ferre Patris poterat, nec soluiet antè (tis
In nihilum subitò, nisi cui diuina vigeret
Maiestas, socio carnis cum fœdere iuncta,
Non auidam superare necem, non reddere vitæ
Munera perpetuæ, nec liuida colla veneno
Serpentis terere, & crudelibus exuere armis,
Ni medio venisset, & hos sufferre labores
Vltrò maluerat, seseque opponere letho.

O quanto & quali genitor nos summus amore
Prosequitur, postquam genitali in origine nostra
Fuderat in mentes instar, speciemque bonorum
Quæ splendent in mente sua, quibus emicat ipse
Iustitiæ radijs, sapienti & lumine mentis.
Ergò adeò similes ipsi complexus amore est
Iustitiæ decor, & nostræ sapientia mentis
Mentem, animumque Dei mira dulcedine mulsit,
Affectusque ijdem spirabant mutuo vtrinque.
Cumque amissa forent lapsu bona tanta nefando,
Magnus amor Nati confestim affulsit, vt ægris
Deposcit veniam patria ad vestigia stratus,
Et patriæ sese pro nobis obijcit iræ.
Atque vbi mortali generi iam gratia parta,
Et patris extinctus furor est, & flamma resedit
Victa prece, & sancto deleta impunè cruore:
Rursus in hac quanquam fragilis compagine massæ
Cum nato Pater, atque amborum copula Flatus

Vini

IN NATALEM

*Vivi habitant, gaudentque illa se sede tenere,
Atque in amicitia nos pristina iura reponunt.*

*Nec generi humano munus dare maius habebat,
Quam quod in hos animos transfusus Spiritus ar-
Spiritus ille sacer, consors Natiq^{ue}, Patrisque, (det,
Laetitiamque in corde nouam, lucemque serenam,
Et tenebras abstergentem, largo excitat igni,
Et vincli in morem medius natoque, patrique
Associat nostrae languentia viscera massae.*

*At quibus officijs tam sancta, atque ardua dona
Assequimur, quoue ista modo pater altus Olympi
Diuidit in medios, cupidisque remittit habenda?
Nempè sono audito verbi, quod cordibus agris
Commissum ob crimen, veniam denunciat vltro
Humano generi, partam pro sanguine Christi.
Ergò huius meriti fiducia, nixa cruori
Christe tuo, extimulat mentes ad vota, precesque,
Laetitiamque in corde parit, ceu reficit imber
Exustos agros iam tum torrentibus auris.*

*Hic modus est, atque haec cōpendia vera salutis
Quae generi humano genitor patefecit Olympo.
Ergò operam studijs demus, votisque petamus
Seruari has terras verae pietatis alumnas,
Neu fera barbaries, & ne Mahometica pestis
Contemtrix Christi personae, & muneris huius
Ingruat his terris, & verbi euertat honorem,
Quo propè sublato solatia nulla supersint.*

Quare

DOMINI.

Quare agite in melius vestros conuertite mores,
Neu factis turbate feris sua vota piorum,
Ultrices astant furia, torrentque flagellis
Assidue, & pœna non ipsa in morte quiescunt.
Utque ministerio digni præstentur honores
Per quod tanta Deus nobis bona cœlitus offert:
Quisque suū munus, pro vt sors, & copia cuiq; est,
Exhibeat, sanctamq; volens deponat ad ARAM.

DIVO MAXIMILIANO, IM-
PERATORI DESIGNATO,
Dresdam ingredienti.

Valiter ad Libani prærupta cacumina montis
Delapsi rores Hermonis vertice in altum
Siona, & positum vicino in colle Moriam,
(Quem super extructa est Iessæi regia vatis,
Et quâ diues opum Salomon eduxit in auras
Templū augustum, ingens, centū sublime colūnis,
Pinguia sufficiunt subiectis pabula terris,
Tabentesque herbas recreant in valle reducta:
Haud aliter proceres suprema in sede locati,
Arboribus Libani similes, & montibus æqui,
Fundamenti instar, muriq; per oppida abeni,
Insignes fama antè alios, & honoribus aucti
Illustri in solio, quia sit diuinitus illis
Ingenium, & rerum fato prudentia maior,

g

Quam

AD MAXIMILIANVM

Quàm quibus in plano positis natura creatrix
Seruitij imposuit leges, humilesque recondit,
Illi ergò inter se concordia fœdera vitæ
Cum feriunt, studijsque trahunt consortibus æuū,
Nec dubitant prælustre suum decus, altaque dona
Partiri in medium subiectis collibus infra
Quos ditione tenent, & pinguingua pabula roris
Vitam, fortunasque suas, & commoda regni
Sufficere affectis populis, succumque salubrem
Deriuare in agros, & dicæ semina pacis
Plantare imperio, sanctasque per oppida leges
Condere, & antiqua populum in pietate tueri:
Haud alios referunt vsus, quàm roscidus humor
Alto monte cadens, altiue crepidine saxi
Exiguum in collem, steriles vnde almus in herbas
Succus eat, fessæque siti incrementa per illum
Pinguia concipiant, lætæque in lumina Solis
Proueniant, semperque auris redolentibus halent.
O fortunatæ gentes Saxonide terra,
Et quas diues alit fœcundis Mysia venis,
Queis dono diuūm ingenti duo lumina primos
Romani imperij, congressos mentibus æquis
Aspèctare datur, te scilicet Æmiliane
Maxime, teq; Auguste virisque, opibusque potentē.
Dijs equidē auspicijs, stabiliq; ita numine Christi
Has illum ad terras cursus tenuisse putandum est.
Quam nunc hanc oram aspicias, quæ surgere regna

Consensu

IMPERATORE M.

Consensu tali, Regum auxiliaribus armis?
Quantis sese animis, quanta spe denique in hostes
Attollet pia religio, cum Maximus olim
Excipiet patrijs gentem Æmilianus habenis
Nulli posterior pietatis laude, nec ulli
Virtute egregia magnorum indignus auorum,
Qui sacra in melius referet, mitisque fouebit
Germanos rerum dominos, gentemque fidelem.
Sancta Fides, rerumque frequens usura sacrarum
Omnibus in templis impune, atque omnibus aris
Iura dabunt: fictæ facies, iniussaque sacra
Tandem victa cadent sine honore irrisa, diemque
Permetuent, furuoque vlulabunt carcere Ditis.
Maeste noua virtute nouum decus addite fesso
Imperio, quem cura manet fulcire labantis
Religionis opus, quoque inclinata recumbit
Omnis doctrinae ratio, & caput erigere audeat
Fulta fauore tuo, meriti que accensa tui spe
Maxime Teutoniae ductor, quo sospite nunquam
Aut res Pannoniae victas, aut regna videbit
Turca, nec externas cursu contendet in oras.
Cernis vt acta metu iam nunc & Caspia regna,
Riphæique tremunt montes, ne fusus ad Istrum
Christicolûm cruor emergat iam rursus, & olim
Caesorum exoriens illic ex ossibus vltor
Immineat, Geticoque cruentet sanguine riuos,
Atque iterum ad bellum veniat Mauortius heros

g ij Agmen

AD MAXIMILIANVM

Agmen agens equitum, & nigris conspectus in ar-
Mauricius Scythiæ terror, dum fata sinebant. (mis
Hic tibi Saxoniæ populos, & fortia bello
Pectora, spectatamque aduerso Marte iuventam
Iunxisset castris : Si tantum tempore tali
Seruassent pia fata virum patriæque, tibi que.
Ingredere ô felix ductor, cui sceptrâ Deum rex
Tradit, vt in morem roris qui sole calente
Refficit arentes herbas, viresque ministrat,
Vrbesque, populosque iuues, & robore firmes
Iustitiæ, placidæque propages fœdera pacis,
Et regnum exornes studijs, & nectare puro.
Ætherei verbi ciues, atque oppida pascas,
Quod te per patris obtestor cœlestis honorem.
Respice res regni miseras, vera asserere veri
Sacra Dei, qui cuncta licet teneatque regatue
Quæ cœlo, terræue vigent, hic partibus æquis
Diuidit imperium tamen, & cœlestia regna,
Cognatasque animas cœlo, dat munera nato,
At terram ingentem, cognatæque corpora terræ
Attribuit natis hominum, diuosque vocari
Maluit, his quoniam cessit custodia verbi,
Hi sunt instrumenta operum, per quæ Pater ipse
Mortales cœrus regit, & dat iura per orbem.
In te igitur populi spes inclinata recumbit
Augurio firmata bono, quando omnis ad vnum
Se recipit fauor, in te oculos, in te ora reflectunt
Vndique,

IMPERATOREM.

Undique, & ipse tuis tibi deditus ordo potentum
Auspicijs fauet, & meritos gratatur honores.
Aspice quàm scissa vadens Ecclesia palla (cesque
Astet, acerba gemens, miscens lacrymasque, pre-
Vera Dei vt pietas superet, lucemque per auras
Spargat inoffensam, & cælo potiatur aperto
Libera pontificum imperijs, & carcere iniquo,
Nec iam oppressa odijs, & aperto errore Tyran-
Hinc decus acquires nullis delebile seclis, (nùm.
Vtilis effector cùm tanta exhausseris acta,
Qualis cui dedcrat magnum Constantia nomen.

Hei mihi q̄ mentes sapientum, & regna tenentũ
Ciuilis vitæ, tam tristis fascinat error.

Illi vbi digestam seriem, & composta tuentur
Ordine quæque suo ciuili in munere vitæ:
Continuò has leges, distinctaque fœdera regni
Mirantur, satiusque putant, vt turba sacrorum
Acciperet leges digesta ab imagine Regni,
Eque vno pendens animis, quem cætera turba
Sacrorum exposcat sensus, & semper ab vno
In dubijs responsa petat, cui maxima rerum
Verborumque fides soli, & suprema potestas.

Ergò statu in tali positos, cum robore & armis
Præmineant, multosque trahant in fœdera reges,
Esse Dei cœtum statuunt, & partibus iisdem
Mundani proceres hærent, qui lumine honorum
Præstant, & quibus est maior sapientia menti.

AD MAXIMILIANVM

Quin etiam si qui mentem ad meliora reflectunt
Admoniti, vertuntque statu vestigia ab isto,
Hostem execrantur, desertoremque sacrorum
Perfidiae insimulant, facibus, ferroque sequentes.
Ceu Pharisæa cohors odijs stimulata nefandis
Arguerat Christum, defectoremque vocabat,
Criminis & macula socium damnabat eadem,
Qui deserta sacris implebat vocibus arua
Antè ferens gressum doctrinae in munere præco.

At verò doctrina Dei non forma, nec instar
Ciuilis vitæ est, sed lectum in munere verbi
Agmen habet sub se, purè quod sacra ministrat,
Et lege immota verbi fundamenta seruat.

Quare agite, atque extra Christi qui dicta fe-
Instituuntq; alios cultus à legibus huius, (runtur,
Aut, velut Ægypti populus cœlestia verba
Artibus aptabat magicis, sacrisque nefandis,
Sic Christi dicta, & rerum sic signa sacrarum
Fraudibus inuertunt, vt possint ampla tenere
Imperia, & vires opibus stabilire potentes :
Non equidem non mēbra hærent in corpore Christi,
Quãdoquidē his Christus capitis nō instar habetur,
At superūm à cœtu extorres, auersa Deo gens
Terrenumque caput colit, et sacra ficta frequentat,
Et noua pro libitu sancit decreta salutis,
Nec tua Christe animis præcepta fidelibus haurit,
Quem Pater è cœlo commendat gentibus orbis
Doctorem

IMPERATOREM.

Doctorem accipiant animis, & iussa faceffant.
Hei fugite infandos cultus, mentitaque sacra,
Et potiùs parete Deo, quàm regibus orbis,
Illi ius animæ est, his tantùm in corpora terræ.
Hac vice distinxit primùm sua regna Creator,
Ut cæli imperium, cognataque pectora cælo
Mandaret nato: Terram, & mortalia membra
Mortali de stirpe satis, quia germine in vno.

Altera pars cæli sumus, & pars altera terræ.
O reges, reges, vera hæc sapientia demum est,
Tutari auxilio, & seros transmittere ad annos
Verba Dei, & pura doctrina pascere vulgus,
Ne tetra inficerent miseræ contagia mentes.

Vos quibus est latè custodia credita rerum,
His Deus aggreditur dictis: finite esse reclusa
Limina, portarumque ingentia pandite claustra
Regis ad ingressum, quem circum plurima inum-
Gloria, et insignem media inter millia tollit. (brat
Huc agite, huc, inquam, vigiles aduertite mentes,
Saluificam proferte fidem, lateque sonantem
Doctrinam gnati vestris admittite regnis,
Néue aduentantem hospitio prohibete fidelj.
Tollite, ferte humeris gnatum, rapite oscula, et ipsi
Ad nutum accincti famulas submitte mentes
Letitia, mistoque metu, geminisque notata
In tabulis mandata Dei defendite ferro
Custodes legum, monumentorumque sacrorum,

g iiij

ipse

AD MAXIMILIANVM

Ipse adero, & vires ceptis ingentibus addam.

*His equidem factis Reges genus esse Deorum
Anguror, & nomen sancta virtute tueri.
sic rex Assyriae, cui pars in nomine prima
Dicta fuit Nebo, simulacri à nomine prima
Edicto vetuit blasphemæ iurgia lingua.
Egregiusque Valens, & cui Constantia nomen
Indidit, & sumtis acer Theodosius armis,
Impia supplicijs inhibebant sacra cruentis.
Quin etiam ne qua in morem reuocare valerent
Monstra Deum, & fictos aris imponere cultus:
Templorum ingentes sedes, arasque superbo
Instratas Ostro, atque Arabo nidore calentes
Excidio dedit, & fundo disiecit ab imo.
Sic regni proceres, Hebrææ robora gentis,
Quos inter primi Iosaphas, belloque caducus
Iosias, simul Asa patrum sacra impia tollens,
Et pius Ezechias, & forti pectore Iehu,
Ausu sunt sacra ficta suis detrudere ab aris.
Hoc moniti exemplo, qui rerum frena tenebant
Mundani proceres, ad pœnam, ad fata trahebant
Donati errorum socios, falsique tenaces.
Constantinus item foribus claudebat ahenis
Mentitis operata deis centum ardua templa,
Et sacræ stipis æra pios vertebat ad vsus,
Quando alij reges odijs sequerentur, & armis
Sacrata tua, & nomen, regum Rex optime Christe.
Cur*

IMPERATOREM.

*Cur ergò inflati proceres quos insula cingit,
Corpora, fortunasque alias, ciuilibus audent
Asserere ordinibus, sibi ius commune sacrorum
Solis accipere, & magna ditione tenere :
Si pariter sacrae sortis, vitæque bonorum
Custodes statuit reges Rex altus Olympi,
Et Mosis tabulas mandauit vtrasque tueri ?
Rex Macedum, pluresque alij ciuilibus ausis
Laudati meruere decus, dum munia vitæ,
Resque hominum externas cursu rexere secundo :
At cultus plantare Dei, pia sacra fouere,
Qualis in Ægypti viuens regione Iosephus,
Quique apud Assyrios cultus aboleuit inanes
Cum presente Dei nato videt omine claro
Illasos pueros torpenti euadere flamma :
Hoc reges vestrum officium se in cardine vertit,
Hinc & partus honos pietati, & commoda vitæ.
Impia cum colerent erectas sacra per aras
Ieroboas vituli cultor comitatus Achabo :
Ferro accinctus adest, & dextro numine Iehu,
Deturbatque aras, & sacra efficta sub aris.
Ergò pro meritis tantis, pro talibus ausis,
Et magno precio, & magno est affectus honore.
An non Ezechias felici sydere vitam
Egerat in terris ? an non data regna secundis
Iosias tenuit fatis, cursuque beato ?
Cum celeri fato contra, pœnisque cruentis*

g v

Interière

AD MAXIMILIANVM

Interière alij reges Samaridos oræ,
Segnius inspicerent cùm sacra exercita, & olim
Non purè peragi curarent munia templi.
Hinc Syria bis quinque tribus natalibus oris
Abductæ sensère iugum, nec tempore longo
Penè etiam extinctæ pœnam exoluère merentes.
Quin ipsum imperiũ quod ab ipso numine habebat
Ingressum, & latè vires extenderat orbi,
Funditus excisum est, nulloque in honore relictum,
Quandoquidem Salomon sacris operatus iniquis
Numinibus fictis patrias fœdauerat oras.
Hinc bella assidua, & nervis resoluta cadebat
Relligio disiecta suis, & trita profani
Sub pedibus vulgi priscum lugebat honorem.

Hæc tu animo repetens heroum exempla priorũ,
Da puris operam sacris, atque effuge cautus
Quæ pietas simulata suis inuexerat aris
Nulla lege Dei, stimulante cupidine quæstus.
Ut facere id possis: sacra super arte peritos
Delige, qui doctis olim per mutua dictis
Corrigerent mala, & in melius dilapsa referrent.
Tùm ludos aperi, quibus artes gnaua iuuentus
Imbibat, atque operam linguarum impendat in v-
Queis sine nec disci potuit, nec ritè doceri (sus,
Relligio, aut Christi proferrî nomen in orbe.
Quos tu hinc immensos fructus, quæ surgere cernes
Imperij incrementa tui, quæ præmia laudis,

Teutonæ

IMPERATOREM.

*Teutona se quantis attollet natio rebus?
Iamdudū hāc de te capiunt spem Vesper & Ortus,
Atque indignatus iuga barbara Pannonus Ister
In te oculos vertit: Tantūm ne regia cœli
Te mundo inuideat iustis velocius annis.*

*PSALMVVS DAVIDIS LXXXIII.
DE CONSTITVTIONE, ET
officio Magistratus.*

*Vi mare, qui terras, & cœli temperat axem
Q Filius ipse Dei medio stat in ordine diuūm
Regna quibus latum permisit habenda per
Iustitiāq; dedit gentes frenare superbas, (orbem,
Ille præest regnis, illi sunt oppida curæ.*

*Nāque pios cœtus non tantūm in munere verbi
Verūm etiam legum vinculis conuocit in vnum,
Et legum sociat nervis, & in agmina cogit,
Ceu lyra Thrēicij vatis mortalia secla
In socios vitæ conuentus traxit, & vrbes
In corpus ciuile hominum concrefcere adegit:
Aut velut vrbs collecta Deo cum legibus æquis
Nomen habet Ninive. Quòd.n. coguntur in vnum
Tot populi, verbo diuino, & legibus arctis:
Non hæc humanis ausis, non arte magistra
Eueniunt, Deus hæc confert opera ardua regnis.*

*Quin idem genitore Deo satus, arbiter ipse
Inquirens hominum vitas, & crimina discens,*

Casti-

PSAL. LXXVIII.

Castigansque dolos, & iura nouissima dicens,
Iudicis exercet partes medio agmine diuūm,
Nempè Magistratus, diuūm quem nomine dici
Maluit omnipotens, quia sit diuinitus ipsi
Cōcessum imperium, et rerum data certa potestas,
Tum quia diuinos præstare insigniter ausus
Cura datur, latè cœlestūm extendere honorem,
Subsidioque leuare bonos, decernere pœnas
Sontibus, atque vmbra populos recreare salubri,
Ceu fati gnarus Daniel sub imagine somni
Viderat æthereas terra consurgere ad auras
Arboris ingentes apices, quæ scilicet instar
Pingeret imperij totius ab ordine mundi,
Sub qua captarent victus, & frigus opacum
Plurima quæ latis degunt animalia terris.

Ipsè etiam intentis oculis, atque auribus haurit
Quid statuunt, & quæ populis dent iura vocatis,
Quæue via vindex esset sententia lata
Cum diuina adeò persæpè negotia tractant
Quando sibi arbitrium sumunt vitæque, necisque.
Quòd si fortè dolis peruertunt iura: repente
Iudicij assistit inexorabilis vltor,
Et meritas ipsi pendit violentia pœnas.
Primūm equidem fontes Deus arguit indice verbo
Si qui fortè velint meliori assuescere vitæ.
Exin præcipites agit alto à culmine rerum
Turbine corripiens celeri, & factò arguit ipso,
Qualem

PSAL. LXXVIII.

Qualem de folio subuertit ad ima Manassen
Fulminis in morem, & prælustribus exiit armis.

At si pro rectè meritis mala gratia parta est,
Hostilesque iras odijs cumulatis iniquis,
Aut in discrimen rerum, vitæque redacti
Diuitioris acerba pati fastidia oportet:

Ponite corde metus, non vobis numine ab alto
Infractusue vigor mentis, tutelæ deërit.

Nam sorte imperijs lecti, fatoque volente,
Confessu in medio præsentia numina habetis,
Impia facta virum quæ multant vindice pœna.

Ergò vbi diuini stabilita est numine verbi
Ardua maiestas soliorum, & regna superba:
Tum pater inuadit dictis qui sceptrâ gubernant,
Et sæpè indignos consueverunt vertere in vsus.

Usque adeò ne dolis violatis iura, fidemque
Admissi dubias hominum decidere lites,
Et fontum partes scelerato extollitis ore?

Quin agite, atque inopem causam, et tutore carentem
Æquis obseruate animis, pressumque superbo
Imperio, & causa meliorem absolute tandem.

Ista quidem mandata Deus dat ferre, sed auræ
Omnia discerpunt, nec verba ex ore piorum
Edita suscipiunt animis, atque auribus æquis
Iustitiæ immemores diuinæ, & sana repellunt
Ingenti fastu veræ documenta salutis,
Nec victi dictis possunt absistere falso,

Tantus

PSAL. LXXVIII.

Tantus amor cæca errorum sub nocte vagari.

Ergò ubi iudicijs præfunt, & rostra gubernât
Ignari rerum, & rectæ nil mentis habentes,
Et cum iustitia fugere fidesque, pudorque
Vita quibus regitur, certoque in fœdere constat:
Confestim vitæ ratio confusa fatiscit
Funditus, intereunt vrbes, populique potentes,
Et penitus terræ fundamina mota tremiscunt
Ordine conuulso, & subitam traxere ruinam.

Sed licet ornatos cum maiestate Deorum
Constitui rerum dominos, & iure potenti
Armato volui regnum exercere per orbem:
Dum tamen exosi diuina, humanaque iura
Estis, & exitio miserorum vestra paratis
Commoda, & egregio velatis nomine culpam:
Non tituli ratio, non inclyta sustentabunt
Sceptra viros, quò fata minus subeantque ruantque
Præcipites, tanquam media de plebe fuissent,
Et quo more perire manus violenta Tyrannum
Suevit, ubi populos immanibus obruit ausis.
Maiestas immota manet, nec sella caduca,
Imperijque in fractus honor, quanquam efferus olim
Celsa è sede ruit contempto numine Saulus,
Atque alij intereunt non sicca morte Tyranni.
At suus officio stat honor, & paupere ab agro
Missus in imperium magnum Iesseus heros
Succedit sceptris, recipitque insignia regni.

At

PSAL. LXXVIII.

At tu gnate Dei tandem, tu nascere terris,
Cui Pater immensum submitte viribus orbem
Imperium sine fine dedit, populisque subactis
Solum iura dare, & solum ditione tenere
Hæredem voluit sanctas per secula gentes.

IN NATALEM CHRISTI.

Filius ætherea demissus ab arce Parentis
Esset vt intacta virgine natus homo:
Nox erat, & puro fulgebant sydera cælo
Auræque ridebat lumine tincta nouo.
Ecce volans altis in nubibus agmen Olympi
Pastorum densis accinit excubijs:
Gloria vera Deo veniat, Pax aurea terris,
Et viua humanis gaudia pectoribus.
Hæc eadem ingeminat Pastorum turba canendo,
Hi sunt qui populum de pietate docent.
Gloria digna Deo est, quando pia pectora norunt,
Et vera celebrant religione Deum.
Quod Deus & iudex summo sedet altus Olympo,
Et tamen in miseros mitia corda gerit.
Gratia debetur Nato, qui sanguine fuso
Leniit iratum victima grata Patrem.
Sed pax læta viget, cum crimina seua remittit
Qui natum accipiunt non dubitante fide.
Illa fides poterit tranquillam reddere pacem,
Et dare compositi lætitiæ animi.

Consen-

CHRISTI.

Consensuque Deus iunctos vult esse docentes :
Pace solent terris multa venire bona.
At tum letitiæ feruent, cum pressa dolore
Corda leuat verbi vox meditata sacri.
Hæc ergò aligeri Christo nascentè sub auras
Carmina in aërijs præcinuère plagis.
Hæc eadem canimus coniuncti mente, fideque
Qui gerimus doctæ tradita frena scolæ.
Namque Dei veri verum illustamus honorem,
Et pax vnanimès spirat amica sonos.
In medium ferimus doctis solatia dictis,
Nec turbant animos impia monstra pios.
Hæc tamen vt discat studijs operata iuuentus :
Assidua voluat scripta diserta manu.
Cum primis opus est doctorum inuisere cætus,
Conferre & placidis mutua dicta sonis.
Ergò qui cupiunt censuræ subdere nostræ
Mores, & studij munera parta sui :
Ad me si referant solito sua nomina more,
Quâ potero, officijs ipse iuuabo meis.
Sed te Christe rogo, patrio qui pectore profers
Patria non vlli sensa resecta hominum :
Tu rege doctrinæ cursus, tuque vnice doctor
Erudias verbo pectora nostra tuo :
A quo vera animis manat sapientia, & à quo
Sunt nato nobis omnia nata bona.

PSAL-

PSALMVS DAVI-
DIS CIIII.

Incipe Musa precor letos nunc ædere cantus,
Dum meditor summo carmina grata Deo.
O qui tergemina cum maiestatis honore
In magno resides maximus ipse throno:
Te Deus autorem rerum Natura fatetur,
Et tua tam sapiens numina monstrat opus.
Hinc tua se bonitas, illinc sapientia prodit,
Illic iustitiæ fulget imago tuæ.
Te decor, & rutilis te gloria vestibus ambit,
Et simulat pulcræ lux variata togam.
Syderibus pictum disspandis in aëre cælum,
Castra velut regum linthea picta tegunt.
Fixa tibi stant tigna tholo liquida ætheris ora,
Et caua suspensæ fornice lympha tumet.
Hinc altè veberis per tractum nubis aquosæ,
Aut in ventorum remige carpis iter.
Addit se lateri flammæ sub imagine & auræ
Casta ministerijs dedita turba tuis.
In medio tellus hæret fulcimine nullo, (qua:
Quam premit hinc nubes, hinc maris ambit a-
Qualis montis apex viridi tegit arbore valles,
Quòue solent hominum corpora more tegi.
Namque super montes tractus voluuntur aquarū,
Et mox in guttas aura soluta coit.
Aut inclusa cauis in collibus vnda liquefcit,
Antraque muscoso frigida fonte sonant.

b

Sed

L-

PSALMVS DAVIDIS

Sed simul increpitans vocem cum murmure tollis,
Nec mora, veloci terga dedere fugæ.
Exiliunt ruptis elisi nubibus ignes,
Et sonat ætherio missus ab axe fragor:
Tum gentes humilis strauit pavor: haud mora,
Intus se latebris continuere feræ. (clausæ
Prærupti montes tollunt ad sydera molem,
At pressæ valles inferiora tenent.
Terminus immoto stat fixus calle viarum,
Nec violat metas terra, vel vnda suas.
Nec super inducto cumulo teget æquora campi
Ex altis rupes præcipitata iugis.
Tu liquidas aperis venas in valle reducta,
Atque iterum in montes cærule currit aqua.
Inde sitim sedant armenta errantia campis
Dum face sol rosea torrida rura coquit.
At circum innumeræ volucres habuere penates,
Pictaque sub ramis carmina fingit auis.
Aëris è tractu demittis frugibus imbrem,
Hinc sata cum multo fœnore reddit humus.
Sed canis ardentibus cum pestifer extulit ortus,
Tunc cadit immissa falce resecta Ceres.
Inde famem pecudes succiso è germine soluunt,
Ac herba humanis vsibus apta viret.
Terra tuo profert Cerealia semina iussu
Quæ vires hominum fessaque membra leuant.
Inprimis

CIIII.

Inprimis hilaras dulci præcordia Baccho,
 Et speciem effæctis reddit oliua genis.
 Et suus arboribus sacris non deficit humor,
 Quâ Libanum Cedrus plurima fronde tegit.
 Hic variae volucres mulcentes æthera cantu
 Strueta colunt altis tecta sub arboribus.
 Atque audax abies casus visura marinos
 Anguibus inuisæ tectæ ministrat aui.
 Intonsi montes damis fugientibus antra,
 Et cliuum quâ se condant Echinus habet.
 Tu Lunæ instabiles agis ad stata tempora vultus,
 Lumine & externo lumen habere sinis.
 Sol etiam currus tollens è rure Sabæo,
 Lora sub Hesperio gurgite soluit equis.
 Atque vbi iam rebus nox detrahit atra colorem,
 Excitata tunc surgit quæ colit antra fera.
 Atque leæ catulus fremitu nemora auia complet,
 Equæ tua pendens pabula quærit ope.
 Sed cum sole nouo terram conspergit Eous,
 Tunc exosa diem deua lustra petit.
 Et passim repetunt homines opera, atque labores,
 Et volucres blandis accinuere sonis.
 Donec sera rubens accendit lumina vesper,
 Et placidus reficit corpora fessa sopor.
 Quàm tua maiestas genitor se effundit in orbe
 Plena tuis opibus, numine plena tuo.

h ij Quin

PSALMVS DAVIDIS

Quin etiam inclusas cingunt vada cærule terras,
Et fera sub vitreis plurima degit aquis.
Labitur vncta vadis abies, atque æquora verrit,
Et vagus externas nauita portat opes.
Illic exercent lusus ingentia Cæte,
Et fluctus cauda subsiliente cient.
Et quas terra feras, quas educat æquor, & aër
A nutu pendent, non aliunde, tuo.
Te poscunt genitor vitæ quorum exigit vsus,
Expletique tua de bonitate vigent.
Tu caua fœcundæ cum pandis viscera dextræ,
Victa fames epulis, victa liquore sitis.
At simul auertis vultus, & contrahis ora,
Languida turbatis concutit ossa tremor.
Pectore vitales agro cum subtrahis auras,
Nil nisi puluis iners, & leuis vmbra manent.
Tum verò vegetas iterum pater inseris auras
Cum tibi viuifico spiritus ore sonat.
Vernaque tunc mundi species patefacta renidet,
Et surgunt varijs corpora seminibus.
Hinc diffusa Dei totum stat fama per æuum,
Author & in propria re fauet ipse sibi.
Sive in humum figit flagrantes luminis orbes,
Eius ab aspectu mota tremiscit humus.
Sive idem tetigit iuga summo in vertice montis,
Lucidus in summo vertice fumat apex.

Hunc

CIIII.

Hunc ego supplicibus venerans in carmine votis
 Lumina dum solis clara videbo, colam.
 Audiet ille meas placato pectore voces,
 A quo viua mihi gaudia fonte fluunt.
 Sed qui crimen amat, cadet hoc inglorius æuo,
 Et longam impietas non habet vlla moram.
 Ast ego vocali meditabor arundine Musam,
 Materies laudis sit Deus ipse mea.

LOTIO PEDVM.

Nam quod inauditum, & seclis memorabile factū
 Cōmemorē? quōue ore ferā? aut quo nomine dicā?
 An cadat in quenq̄ tam sancta modestia, & instar
 Demissæ mentis, cum qui sit summus, & omnia
 Excedat longè donis, lateque creata,
 Cui seruit mare, terra, polus, cui quicquid vbiq̄ est
 Submittit famulæque vicem, et submittere fas est,
 Non patrio solūm è solio demissus in orbem.
 Is rerum Dominus, miseris mortalibus vltro
 Seruit, & in nostros humilem se colligit artus:
 Quin etiam ad viles operas abit, atque retorto
 Seruilem in morem lini succinctus amictu
 Ipse genu nixus, labris splendentibus amnem
 Ingerit, & positis bisseis ordine alumnis
 Sordida permulcet liquidis vestigia lymphis,
 Quamuis hi tenues, quamuis ille arduus esset,
 Ille carens vicijs, hi gens obnoxia labi.

b ij

At

LOTIO

*At quid te tennes Rex maxime adire labores
Impulit? ut qui vnus summi fruereris honore
Flaminis, & velles adytis iam inferre sacratis
Soli concessos tibi gressus, atque regressus,
Præstares tamen antè tuis opera ista ministris
Tam magno tennes iam nunc dignatus honore?*

*Scilicet hoc signum voluisti gentibus esse,
Tu quòd ad has à Patre vices delectus es vnus
Qui possis homines lauere omni labe reatus
Spargens flumina pura, salutiferumque cruorem.
Et nisi tu Petrum ablueris, quanquam ipse refugit
Tale ministerium, tantum indignatus honorem,
Iàm tum ille exciderit cælo, oblataque salute,
Nec partem inde tui teneat, nec munera apud te.
Quid referam Isaiden byssopi aspergine tactum,
Lustratumque cruore tuo, cui protinus omnis
Exuitur macula, atque infectum crimine pectus
Fit niue candidius, plumaue albentis Oloris.
Et fors si qua super mansit de labe cicatrix,
Irrita, pacatam soluit formidine mentem
Neu posset trepidare Deū, aut succumbere morti.*

*Quare agite, et quorū mētes macula inficit atra,
Magna quibus commissa lues, decursaque vita est
Turpiter, atque ideò exercent vos numinis ira,
Et furia, quibus anguineo fœcunda capillo
Frons exundantem vindictæ nunciat iram,
Cùm stimulos adhibēt animis, torrentque flagellis:*

HUG

P E D V M.

Huc huc aduentate, fideque immittite mentes
His lymphis, fluuioque huius mersate salubri.
Quippe ministerio Christi, sanctoque cruore
Eluimur macula & vitio lustramur ab omni,
Non opus est nobis lustrali aspergine lymphæ,
Quæ magicis cantata sonis purgare reatum,
Inque fugam nigros Erebi conuertere manes
Credita, fallebat miseros errore lauantes.

Hoc etiam exemplo voluit pater addere hono-
Ipse ministerio, cuius de munere sancto (norem
Sanguine lustramur roseo, vitijsque leuati
Ritè Deum accipimus vitam, & noua massa crea-
Nempè ministerij sortem, vestigia nobis (mur.
Ima pedum, & sanctum legati munus adumbrant.
Ergò vt gens hominum cum magno ferret honore
Tale ministerium: nec non qui fungitur isto
Voce sonans partam pacem mortalibus ægris
Cogitet in pulcris vestigia ducere plantis:
Hanc pater ob causam socium ad vestigia stratus
Sacrauitque pedes, & tanto affecit honore
Permulcens manibusque pijs, & flumine viuo.
Et quanquam persona nocens quandoq; reperta est,
Ceui fidei oblitus, scelerumque inuentor Indas:
Ipsi ritè pedes tamen, & sua functio sacra est.
Quare cum liquidis vestigia terserat vndis,
Tum ritus tanti rationem exponere pergit,
Et sic voce refert: Socij, mea numina testor,

h iij

Qui

LOTIO PEDVM.

Qui vos cunque meo legatos nomine missos,
Et quæ deinde meo suscepta ex ore sacro
Legati mandata ferent, suscepit olim
Vltrò animis, nec præceptis parère recusat:
Idem me cum patre meo suscepit olim,
Tanta ministerio maiestas credita vestro est.
At pauci accipiunt fido cum pectore Christum,
Quandoquidem hos vestra ceperunt tædia sortis,
Atque illis odio est veræ doctrina salutis.

Quod superest porrò: cum sese maximus ipse
Ad minimas operas etiam demiserit vltrò:
Disce animos humiles gerere, & cõpescere fastus,
Fastus inest magnis, & reddunt dona superbos,
Hinc variæ illudunt pestes, & crimina multa:
Quò quisque est maior, tantò sit mitior idem.
Si tibi sunt animi dotes, his consule egenti,
Nec contrà tenues aliorum despice vires,
Sed vicium tegere, & virtutem extollere disce,
Sapè etiam in paruis diuina potentia magna est.
Sic ô sic cursu peragetur vita secundo
Vberibus fæcunda bonis, opibusque beatis,
Et dona in nobis crescent, crescemus & ipsi.

P A S C H A.

Sfyrio quondam deuinctæ carcere gentes.
A Dicuntur rubeas ponti transisse per vndas
Ægypti hospitium fugientes, & iuga sæua,
Cum

PASCHA.

Cùm lecti proceres, Hebrææ lumina gentis,
Seruitio optantes Phario subducere collum
Ausu sunt vada rubra cito decurrere gressu,
Ipse quibus summis suspendens fluctibus vndas,
Instar montis aquas diducto limite findens,
Errabunda viæ rexit vestigia Christus
Nocte facem simulans, claro sed lumine nubem :
Ne trucidis Ægypti de finibus egredientes
Falleret inconsultus & irremeabilis error.
Utque rubram cursu gens attigit Amphitriten,
Fissa sinu dedit vnda viam, siccisque repente
Transibat pedibus : cum à tergo barbarus instans
Ægypti dominus, multusque ante ora satelles
Oceani vada cæca vrget, properatque viantes
Præripere, & pelagi medio deprendere in æstu :
Cùm subito venit vibratus ab æthere fulgur,
Quo mota est tellus, & inhorruit vnda procellis
Versa retrò, planxitque micantia sydera mundus.
Ipsam autem pelagi prensam cingentibus vndis
In caput, inque humeros agit alternante procella
Fluctus, & irato celer haurit in æquore vortex.
Cui subter fauces singultant flatus & vnda
Spiramenta animæ præcludens obice fixo.
Quo simul immissa est Nili gens decolor aluëo,
Rubraque palpantùm spumis incanuit vnda :
Currus tunc, & equos, & naufraga tela videres
Quæ prius Hebræi sitiebant sanguinis haustus,
h v Imbibere

PASCHA.

Imbibere infidum conuersis fluctibus æquor.

*Sed populi rubris è littoribus digressi
Insuctum per iter Domino ducente sequuntur
Antiquam patriam Canaæ, fataliaque arua
Quæis longo abducti sub temporis interuallo
Sunt Pelusiacos acti sufferre vapores.*

*Vtque quater denos Sol cursu exegerat orbes :
Iordanis rapidum superabant gressibus alueum,
Et vetus aërij cessabat copia roris,
Atque explere famem Canaæ de frugibus almis
Incipiunt, patrijsque agitant in finibus æuum.*

*Omen in hoc factò est : quia forsantèpore tali
Cum iam primùm aperit luces verna aura serenas,
Cessabitque Fides, & nos veniemus in arua
Promissæ patriæ, Paradisiq̃ue ardua tempe
Israëligeno nati de semine fido.*

*Ex illo celebratus honos, atque inde minores
Hunc dixere diem facti de nomine Phase,
Deuius impune domos quòd transijt ales
Ægypti primos consternens funere fœtus,
Quæ sparsos agni seruabant ritè cruores :
Indè quòd & ponti vada concaua, & deinde retor-
Conflua vorticibus visi transire fuissent. (tis
Ergò die solennem illo gens omnis honorem
Dulcibus in libis, & cæsi carnibus Agni
Instituit, prisca monumentum insigne regressus
Carcere ab Ægypti, libertatisque receptæ,*

Pro

PASCHA.

Pro qua soluebant memori de pectore grates,
Et tum vota dabant pro libertate futura
Quando iugum excuterent mortisq̄, Erebiq̄ pro-
Iã regni immunes peccati, et carceris atri, (fundĩ
Hostia cùm caderet maculis sine turpibus Agnus.
Scilicet humanam propter maclata salutem
Ipsa Dei soboles, vitæ melioris origo,
Dum veniæ mediam se offert, & crimina soluit.

Nos etiã hunc de more diẽ celebramus ouantes,
Semper honoratum, et sacratum semper habentes,
Quo propria virtute potens in lumina vitæ
Exijt, euieti spolijs oneratus Auerni,
Sub pedibus lethumque, atque impia tartara pres-
Atque vni cessit rerum data summa potestas (sit,
Quæ superi, manesque tenent, immensaque tellus.
Illo quippè die nigro transiit ab Orco
Arduus ad dextram patris, atque adsumta locauit
Membra Patris solio, qualem miserabilis olim
Conspicere optabat Iobus sub imagine nostræ
Velatum carnis, patriaque in sede morantem,
Ipse etiam cum carne noua foret obsitus olim.
Hic genus Isacidum, credentiumque agmina vbiq̄
In Stygio deuincta lacu, quã nullus aquæ fons,
Sed nebulae obscæna, et torrentia sulphure stagna,
Duxit ouans secum Paradisi ad florida tempe,
Non secus atque olim Canaë fatalibus aruis
Sistebat rubeo deductas æquore gentes.

Luce

PASCHA.

Luce sub hac etiam primum de fruge manipulū
Libatum posuere Deo, sacrumque dicarunt.
Ritus is edocuit, primum quod lucis in auras
Ex hominum numero qui seminis instar in agrum
Depositi mollem caperent tellure quietem,
Euasurus humo caelesti numine Christus
Esset: & ex illo sacrati tempore vates
Primitiae dicunt horum, qui lumine casti
Venturi aërias essent iam rursus in auras.
Nam cum gens hominum meritas exolvere penas
Debuerat, quod iustitiae sic sanxerat ordo
Ferrens: ecce Deo stabat clementia praesto
Inuictum ut nostri posset miserescere pectus.
Non impune tamen, sed enim sese ipse, suumque
Filius obiecit caput, in seseque recepit
Iramque, culpamque, & culpae debita tandem
Supplicia exoluit qui sit iustissimus vnus.
Nec prius ex illo flagrantia declinavit
Corda Pater, totam quam exhausit sanguine poenam
Funditus, amissamque reuexit morte salutem,
Iustitiae decus, & vitae immortalis honorem,
Pro qua discrucienda dedit sua viscera ligno,
Et roseum effudit iam extrema in morte cruorem.
Quantos ille tulit languenti corde dolores
Cum Stygium contra cuperet contendere monstrum,
Et mortem adpeteret redimenda ob munera vitae?
Nam velut in Libani pandentem brachia monte
Cedrum,

PASCHA.

Cedrum, aut annosam beneolenti cortice laurum
Indomiti Boreæ quatientes flamine lignum
Eruere inter se certant : illa acta profundis
In terram longè radicibus, eruta tandem
Prona cadit, lateque & cominus omnia frangit
Et terram illiso consternunt stipite frondes :
Sic dum illum validis impellunt viribus hostes,
Illis morte cadens visus dare maxima damna :
Sic domito sæuam prostravit robore Mortem
Nequicquam vanos iactantem brachia ad ietus,
Inde pedem victor cœtu comitante reflexit.
Nam ne nostra malis onerentur pectora tantis,
Ipse suum potius pro caris corpus amicis
Proicere optauit, quàm si monumenta suarum
Deficerent manuum, & letho resoluta perirent.
Ipse igitur nobis tam se, quàm munera parta
Diuidit in numerum, & consortes gaudet habere
Omnes qui data dona fide comprehendere gaudent,
Et freti his opibus morti obluentur acerba.
Ipse sua vitam meruit mihi morte, mihi que
Iustitiam pro labe mea, quam sanguine soluit,
Ipse mihi cœli que aditus, patris que fauorem
Conciliat, supera que iterum dat luce potiri,
Unde olim excussus, tenebris que sepultus Auerni
Excideram : ipse iterum victor de morte reducet
Hæc sua mancipia, & cœlesti in honore reponet,
Cum mare transibo rubrum duce et auspice Christo,
Et

PASCHA.

Et Canaë ingrediar promissa, & debita fatis
Regna mihi, Elisiumque nemus, sedesque quietas.
Nec tum primitiis tantum locus: integra messis
Æterno libata Patri sistetur Olympo,
Omnia grana, omnes collecti fasce manipuli,
Omnes & messes complebunt horrea cæli.
Infelix lolium, & siliquis fallacibus herbae,
Lappæque, paleæque & dumis carduus aspris,
Collecta in nodum, torrentibus arida flammis
Nutrimenta dabunt furuis crepitantia in antris,
Quâ diræ Eumenides cinctæ serpentibus atris
Et scelerum facies, pœnarum & nomina mille,
Auditæ & voces commissa antè acta gementum
Nequicq̃, & frustra optantum iam in prisca reuerti
Corpora, & expertem spondentum crimine vitam,
Ni fata obstiterint, & inexorabile numen
Morte obita & magno præcluserit obice pontus
Flammeus, & nouies Styx interfusa vetarit.
Tu verò, tu gnate Dei, qui gurgite rubro
Isacidum gentem Pharia è tellure reduxti
Ad dulcis patriæ fines, fœliciaque arua:
Tu nos, tu medio versantes turbine lethi
Eripe, & aspersos agni cum sanguine sancto
Securos Satanae, atque necis, tecum alta per astra
Duc patriam ad sedem, promissaque rura piorum,
Quâ nulla inuisæ facies, nulla impia labes,
Nulla lues, nulla clades, at sine carentes

Letitiæ,

P A S C H A.

Lætitiæ, superùmque chori, semperque recenti
Personat assultans cæli domus aurea cantu.

I M A G O R O S A E.

Ver redit, & zephyri flatu rosa surgit in auras,
Æmula quæ Christi monstrat imago necem.
Is caput intextum paliuri germine habebat,
Ut rosa sub spinis pendula fixa iacet.
Et quia lacteolum depicta est sanguine florem,
Hoc est quod Christi saucia membra refert.
Nec rosa nomen habet soleat quod rodere quenquã,
Sed iacet à spinæ cuspide rosa rosa.
Sic quamuis Christum plagis adflixit Apella,
Cruque humeros pressit, spina cruenta caput :
Ille tamen patiens sacros exhalat odores,
Atque offert summo vota, precesque patri.
At leuat arcano naturæ fœdere luctum,
Pellit & erecta nubila fronte rosa.
Sic pacem reuehit Christus mortalibus ægris,
Qui capiunt ipsum non dubitante fide.
Cumque rosæ in florem Sol ardens lumina spargit,
Deijcit ardenti victa calore comas.
Sic Deus in natum calidam cum sparserat iram
Ut luit humanum victima facta nefas :
In cruce marcescens mortalis forma cadebat,
Maestas obitus nescia mente latet.
Purgat & obscenam vultu rosa perlita lepram,
Sic leuat is turpi perdita corda lue.

R O S A E.

Atque ubi lethifero corpus succenditur aestu,
Et torret calidum febris anhela iecur:
Non magis utilior tabem leuat herba calentem,
Illita quam tostæ si datur vnda rosæ.
Sic liquor exudans resoluta corpore Christi,
Quem calida extorsit vindicis ira Dei:
Extinguit patrios in crimina nostra furores,
Et reprimat Stygij feruida damna rogi.
Admonet ergo homines partæ rosa verna salutis,
O rosa quam paruo maxima flore doces.

P A R E N T A L I A A N N I V E R S A -
R I A , Q V A R T O F A C T A R E V E R E N -
do & clariss: Viro D. Philippo Me-
lanth: in Academia Vite-
bergeni.

Vnc iterum ad cineres, et docti busta Philippi
N Adsumus, & dignum meritis testamur honorem
Annua solenni referentes carmina ritu.
Iamque dies fatalis adest, qui semper acerbus,
Semper honoratus verso seruabitur anno,
Quo me cunque loco sistent mea fata, Deusque,
Seu virides Rheni colles, aut dulcia Mœni
Heu nimium indignis iam nunc exercita fatis
Arua sequar quondam, sedemue binominis Istri:
Exequar, æternis inscribens carmina cedris,
Nostros

PARENTALIA.

Nostros ut luctus, & gratæ conscia mentis
Officia, haud vnquam veniens oblitteret ætas.
Illius egregias virtutes, claraque facta
Sæpe fatebuntur diuino in carmine Vates
Inter odoratum lauri nemus, aut vbi doctus
Et iuuenû chorus, atque senum vacua atria cõplet:
Scripta recensebunt populis, aut dulcia dicta
Rectius, & melius quæ docto ex ore profudit,
Quàm sparsis folijs quæ mandauere Sibyllæ.
Ille pater Vatum est, qui tanquã dulcis aquæ fons
Purior argento, pellucidior crystallo
Omnia mellifluo conspersit scripta lepore,
Remque Melanthoniæ poterunt ostendere chartæ.
Ipsi Itali testes, qui quæ monumenta Philippus
Edidit, haud longis verborum flexibus vsus,
Tantum summa sequens cautus fastigia rerum,
Illi igitur, quibus est studium facundia linguæ,
Hæc monumenta legunt, atque in sua cõmoda vertunt,
Et res magnifica gaudent extendere pompa.

Ergò & si qua mihi fuit, aut facundia posthac
Vlla meæ suberit linguæ, quæcunq; futura est:
Illa tuis meritis nervos intendere, & illa
Ingenio quod erat fatis tibi, texere laudes
Æternum assuescet, sacrumque indicet honorem
Magne tuo cineri, cineri si sensus humato est.
Quanq; animum in diuersa trahit sententia discors,
An ego tam cari patris concussus amore

PARENTALIA.

Verba feram, mæstoûe premam tacita ora dolore:
Illud suadet amor, pietasque huic debita poscit,
Hoc prohibet dolor, euigilansque in pectore luctus
Denuò, conceptumque viri de funere vulnus
Ægrè attrectari patitur, fama que nouatur:
Multa viri virtus tamen, & merita ardua rerum
Persuadent iterum solennem hanc ducere pompam
Manibus egregijs, atque annua soluere iusta.

Non tamen vt primùm hanc rationem laudis
Vana superstitione vesano induxit amore, (inibam
Vt mihi mortalis dio ferretur honore.

Cur oneras factum inuidia, moremque vetustum
In crimen trahis, atque in peius vertere gaudes?
Bæotum crasso iurares aère natum.

Egregij verò censors: qualibus ergò
Vos animis dextra numen Cereale leuantes
Præcipitis vulgo pronos submittere vultus,
Cor vbi subrigere, & cælos penetrare necesse est
Mente pia, cælos, vbi vera in carne locato
Ponè patris dextram Christo sunt vota ferenda?
Et gaudetis adhuc profiteri hostilia corda
Pontificum sacris, cultusque notatis inanes,
O tenebris iisdem demersi, & gurgite eodem,
Carpite nunc verbis, quod re committitis ipsa.
Discendum est ipsi primùm tibi, deinde docendum
Quid falsi cultus, sacrorum qui sit abusus,
Et rûdibus populis solatia recta ferenda.

Quid

PARENTALIA.

Quid, nonne egregio peragebant iusta Mamanti
Annua, nonne alijs, numero quos edere longum est?
At longè potiora illis, maioraque longè
Ausu sunt præstare viri, consortibus æquè
Auspicijs, animisque ambo concordibus æquè
Heliam referens animi virtute Luterus,
Fidus & Heliae consors, doctusque Melanthon
Qui Sophiae spinis confertas turpibus artes,
Et Labyrinthæis in flexibus irretitas
Ritè via expediit facili, in formamque redegit
Disiectas nervis, & vitæ vertit ad usum,
Ceu farre insperso lympham emendabat Elisa.
Et cum vera Dei penitus doctrina iaceret
Pontificum corrupta dolis, intextaque vanis
Commentis hominum, quæ quisque inuenerat ipse
Aut propria pietate animi, quæstiuè nefando,
Ceu Manoæ nato texebant licia in ipsam
Cæsariem, & clauo coniunctim adfixa tenebant:
Ecce potens animis, nec non cælestibus armis
Pontificem aggreditur Latia super vrbe sedentem
Qui dudum metus orbis erat, rerumque potentes
Sub pedibus calcans iuga tristia ferre coëgit,
Huic monstro oppositus contendere voce Luterus
Ausus erat, velut Isaides cum verbere fundæ
Centaurum immanem, & vasta se mole ferentem
Contudit, & fulua spaciosum extendit arena.
Hic trifidum illius deiecit vertice sertum
Auro intertextum, rutilisque insigne lapillis,
i ij Simsonisq;

PARENTALIA.

Simsonisque modo, Petri de claue, thronoque
Queis innexa pedem Christi doctrina pependit,
Auulsit rursus, vacuasque emisit ad auras.
Quodque nefas fuerat, nullique impune licebat,
Hic tum Teutonica docuit resonare loquela,
Quæ rudibus populis non intellecta solebant
Antè loqui Latine tantum discrimine lingue,
Abdita Eleusinae matris seu sacra fuissent.

Continuò in partes operum, tantique laboris
Huc accitus adest Rheni de sede Melanthon
Ingenuas proferre artes, linguamque Pelasgam
Albidos ad ripas Musarum infundere alumnis,
Qualis ad irrigua ripas Iordanis Elisa
Cogebat iuuenum cætus, doctæque iuuentæ
Iura dabat, sanctisque implebat vocibus aures.

Sed neq, nunc quisque distincto ex ordine posset
Verba dare, aut fidei de rebus fundere fata
Infusum ad populum, quod erat compage soluta,
Et varijs distracta modis, & dissita nervis
Religio ipsa suis, docti nisi cura Philippi
Venisset medio, & recta ratione coactum
Contraxisset opus, charasque tulisset in auras
Expediens nodos, carpensque è sentibus vuas
Quæ tum spinosis latitabant vndique scriptis.
Nec quisquam è magna Italia, Latioque profectis
Audebat conferre sonos conuentibus vllis,
Hoc paruo excepto, qui tunc magni agminis instar
Rite Sophistarum nodos dissoluere nôrat,
Versaratque

PARENTALIA.

Versaratque manu veterum ingeniosa reperta.

*Interea inuicta præpollens munere lingua
Sacra domi tradens populis, moremque sacrorum
Intrepidus iussa manet in statione Luterus,
Et poterat dictis si vellet cogere ad arma,
Et populos vno rursus componere scripto.*

*Is Latiam Harpyam, quæ mundi ingentia regna
Attraxit Briaræi manibus sacrisque dicatum
Usibus, ignavis fucis permisit habendum,
Exiit imperio, & turpes patefecit abusus,
Artificisque scelus toti traduxerat orbi.
Et quos vana sui meriti fiducia habebat
Morte obita ut possent superas euadere ad arces:
His recta in Christi meritum fiducia aperta est,
Qua dubij expertes facit, & præcordia firmat
Certa quod acquirunt promissæ dona salutis
Soli ob Christi meritum, sanctumque cruorem.*

*An non pro tanto celebrandus nomine vterque,
Et magno cumulandus honore, et dignus amari est,
Egregiusque animi Luterus, & ipse Melanthon
Ingentes dotes qui paruo in corpore habebat?
Vos benè pro factis verba impia verba refertis,
Nos grates agere, & superos laudare, nefandum est.*

*Cum foret igniuomo translatus ad æthera curru
Helias pater, huic iuxta comes hæret Elisa
Cæsariem terra, atque infuso puluere fœdans
Abscindensque humeris vestes, atque æthera com-
Lamentis, gemituque, et luctu sono vlulatu, (plens*

i iij Cen

PARENTALIA.

Ceu tota in luctum regio descenderat olim
Cum fato ereptus Samuel migraret ad auras,
Omnis & Ægypti plaga tristi mente ferebat
Interitum Iosephe tuum, planctuque fremebat.
Tandem hunc prosequitur lugubri carmine ad au-
Virtutē celebrans, atq; ardua facta magistri: (ras
Qualis consorti statuit monumenta sepultæ
Isacides senior soceroque & sanguine iuncto
Isaides Vates funebria carmina fingit,
Et pius Æneas docto rem carmine signat.
Tum sic incipiens breuiter proclamat Elisa
Cum magno cari perfixus amore magistri,
Bis patris ingeminat nomen, bis voce salutat,
O pater, ô iterum pater huic patriæque mihi que,
Isaciæ gentis currusque, & Martia turma.
Tu, quod non currus potuerunt mille, nec vnquã
Mille equitum turmæ, nec bello plurima virtus,
Id tu care pater rebus communibus vnus
Præstiteras precibusque tuis, studiique labore,
Tu patriæ fueras, quod eques, currusque fuissent,
Si dextra humana defendi patria posset,
Quam precibus pugnans defensam sepe dedisti
Præsidio armorum cassam, atque impunè quietam.
Hæc erat, hæc pietas, & grati munus alumni,
Testari luctum, celebrare ingentia facta,
Funera grandæui non exoptare magistri
Liber vt in populo famæ potiatur honore
Furtiuum decus ostentans, & non sua dona.

Ipsæ

PARENTALIA.

Ipsè ardens fastu, & furijs agitatus Iudas
Immerita exponit multandum morte magistrum,
Mox nodum informis lethi trabe neētat ab alta
Ipsè sui pariter sceleris patrator & vltor
Dum crepat immunda profundens ilia ab aluo.
Odere ingratos, & pœnis tristibus vrgent
Dij superi, & iusta compensant omnia lance.
Sic rex ipse Ioas defunctum ornabat Elisam
Laude pari celebrans ipsum, quibus ipse magistrū
Currūq; aurigamq; vocat bonus. Hei mihi quantū
Præsidium et quantum perdunt munimē ad hostes
Vrbesq; magniq; Duces, cūm prouida magnos
Tollunt fata viros, cladesq; & bella secuta
Edocuere homines nunquam hoc impunè fuisse,
Morte Lutere tua tecum Concordia ad auras
Cessit humo, & stygijs Bellona excita latebris
Sanguineum intorto concussit verbere flagrum
Armatas hominum præsens hortata cateruas.
Nec prius ærumnis hominum exaturata quieuit,
Teutona quàm calido respersa est sanguine tellus
Vndique, & ingentes cumulauit funere aceruos.
Quàm vereor ne fata eadem post fata Philippi
Immineant populosa tuis Germania terris.
Feruēt enim, seuitq; animis ignobilis ipsa
Nobilitas alibi, mores imitata Crabronum,
Qui cum sint ab equis, in equos sua spicula vertūt,
Et generosa necant, ipsi è putredine nati.
Sic quoque degenerat virtutem oblita parentum

i iij

Efferæ

PARENTALIA.

Effera nobilitas contempto numine diuūm,
Scinditur imperium, turbantur fœdera vitæ.

Sed mala gens hominū præsentibus inuida re-
Affligit viuos, dehinc functos luce requirit, (bus
Nec sua cognoscit bona, quàm cum perdita cessant.
Cum sacer orabat vates, largum imperat imbrem
Frugibus, & terris: idem cum vota ferebat

Armatos Syriæ cœtus occæcat Elisa

Prospèctum eripiens oculis caligine mersis.

Parcite mortales odijs temerare nefandis

Fatales heroas, & altè insignia dona

Suspicite, & cœlo demissos credite ab alto

Præsidio humano generi, miserisque ruinis.

Neu factis turbate feris, sed debita grati

Pectoris officia, & meritum submitтите honorem.

Si qua fuit labes illis, hanc discite verbis

Obtegere, & contrà virtutem extollere fama.

At verò vt iuuenes simulacrū atq; instar haberēt
Grati animi, & quæ sit, possint cognoscere, virtus:

Ipsè suam Helias pallam commendat Elisæ,

Succedat sacris, & sit nunc alter ab illo.

Ipsè suum baculum Moses post fata relinquens

Dicebat Iosua, te nunc habet iste secundum.

Hoc equidem ritu grandæui ex ordine patres

Substituère loco Vates iuuenilibus annis

Tali legitimam testantes omine sortem

Qua lecti ante alios sacra in statione locantur.

Præcipuè verò tales demisit in vsus

Grandæuus

PARENTALIA.

Grandæuus genitor fido sua pallia alumno,
Illis vt cari vitium velare magistri

Assuescat, primis & eum veneretur ab annis.

Et pietate potens, & erat virtutibus ingens,
Multa tamen latuere senem: suus omnibus error
Non sinit exortem traducere crimine vitam,
Nec quisquã exemptus communi à sorte malorũ est.

Indeiecta quidem falsi fundamenta cultus
Liquerat Helias, cùm fortè erexerat aris
Ieroboas vitulum, cœlesteq̃ue numen ad ipsum
Alligat, atque coli numen deposcit in ipso:
Ergò etiam Helia iam tum trans aëra vecto
Mox falsi cultus rediere, & tempore quouis
Impia sacra loco poterant impunè reponi.
Nam neque tunc vitulum voluit coluisse videri.
Nemo adeò in terris liber sine crimine vixit,
Cui semper fuerit casus mens prouida ad omnes.
Vitifator Nobas insueto improvidus haustu
Dum rigat ille sitim, nec vis benè nota Lyæi est,
Turpe quid admisit: sed enim cum fratre Iaphetus
Mox super ineëta velârunt crimina palla.
Ad Maribæ ripam titubabat corniger heros
Agmina purpureas qui duxerat ante per vndas.
Helias animum ingentem terrore remittens
Prospectu ex hominum sese auis abdidit antris.
Ergò sui officij iuuenem quò deinde moneret
Pallam, quò prius ipse suum texisset Elisam,
Pallam, qua rapidas diuisit Iordanis vndas,

PARENTALIA.

Pallam banc extremum caro dat munus Elisæ,
Hac discat nauos tegere, atque ignoscere lapso,
Atque iterum ipse suis moriens banc donet alumnis,
Et seros olim transmittat ad usque nepotes.

Credo equidem, quicumque Dei consistere ad ora
Mente cupit placida, neque tristem ferre repulsam,
Is gemina palla veniat succinctus oportet.

Vna, qua propriam labem, suaque impia facta
Ante Deum velet, sumtoque obnubit amictu.
Ast alia, incautum scelus, improuisaque facta
Maiorum obtegere, & verbis pratexere discat.

Verum nulla potest adeo commissa piacula
Condere, ne summo sint observata Tonanti,
Pulcra chlamys hominum contexta insignibus ausis,
Non Eux folijs consuta virentibus olim
Tegmina pulcra queunt, nisi Christi tincta cruore
Purpura, quam primus genitor cum compare quodam
Lanigerarum ouium velati pellibus ambo,
Quam pater Isacides agni sub pelle notari
Nouerat, atque omnes norant longo ordine patres.

Hæc palla Assyrio concharum haud illita fuco,
Sed rubet è Christi guttis suffusa cruentis.
Nil iuuat Aronis crocco velamen amictu
Consertum gemmis, & filo ductilis auri,
Pallia nec magnæ Matris, quæ fama secuta est
Albam ceruleo lanam infecisse colore,
Nec toga quæ cæli varijs intexta figuris
Pelleum iuuenem miro vestibat honore.

Ante

PARENTALIA.

Antè homines verò communi in fœdere pacis
Languebunt vitæ officia, & confusa fatifcent
Funditus, Helix vatis si pallia desint.
Nam nisi possimus communi ignoscere sorti,
Alter & alterius mores ferat, actaque ineptè
Sæpius, assuescat doctis prætexere verbis:
Hei malè tùm veniam nostris deprecere factis
Possumus à diuis, odio si feruet, & ira,
Immite & nostrum nescit miserescere pectus.
Ni iuuenis vetuli nonnunquam ignouerit ausis,
Nec miseros lapsus nouit celare potentùm
Subdita gens, dira que vomit conuitia lingua
Thersitæ exemplo, vel Chami ignobilis olim:
Tum fera seditio, tum neruis vulsa labascit
Publica res, vitæque status hei penè fatifcent.

Ergò agite ô iuuenes, & queis parere necesse
Arripite hæc ergò cupida duo pallia mente (est,
Nusquam amittentes, recto si numina vultu
Aspicere, aut terris fato meliore potiri
Vultis, & æthereis tandem considerare regnis.
Nec vos pœniteat deponere sensibus imis
Dicta sub exequijs, quas magno in honore supremi
Temporis Helix, nec non & Vatis Elise
Soluimus: hi verbi diuino numine adorti
Cultus, & fœdi regnum euertère Baalis,
Doctrinamque Dei, variasque insigniter artes
His statuère locis iterum, in lucemque tulerunt,
Et doctis scriptis certantes, eruere imo

Conata

PARENTALIA.

Conati fundo sunt sacra infanda Papatus
Exigui numero quanquam, nec viribus æqui.

Cùm fraus Pontificum latè iam extenderat orbi
Imperium, nec tùm quo progrediatur haberet
Ulterius, penitusque status civilis habenas
Sub ditione tenens magnum spirabat honorem:
Ipsi ingens domus, & regali splendida luxu
Regia, & imperijs florens, opibusque superba,
Stans sede in celsa, & fulcris innixa duobus,
Exigui in crusti cultu, atque in cælibe vita:
Continuò inuenti sacras qui advertere fraudes,
Atque aciem contrà veris opponere dictis.
Verùm vbi nulla datur magnū exuperare potestas
Imperium: at tacitis instabant noctis in vmbriis
Ceco Marte viri damna improuisa ferentes,
Qualis erat linguæ donis instructus Erasmus,
Clàm tamē impugnans scriptis fera crimina Papæ.
Ille igitur tenui instructus cum falce parabat
Eruerc ingentes sedes, & cedere furtim.
Segmina parua domus, & inobseruanda, regesta
Tellure obtegere, & data damna abscondere rursus
Quâ datur, & ne sint fraudi sibi scripta veretur:
Tum verò ancipitem gestans impunè bipennem
Mente potens Luterus adest, vibransque securim
Impulit, atque imis concussit sedibus alta
Atria, quo pulsu subitò intremuere cauernæ,
Sternitur extemplò multos dominata per annos
Regia, fulgenti splendens auro, atque argento,
Omnis

PARENTALIA.

Omnis & ingenti completur terra tumultu,
Non secus ac Simson, cum tectum immane lacertis
Eruit, & stratis super hostibus ipse recumbit.

Iamque domus magnæ maiestas victa repente
Concidit, & statuis diuini post modò honores
Detraçti, & nullus posthac conuersus ad illas.

Cælibis & vitæ iam fors impura patebat
Detecta, ingenti tulerant quam laude pudoris
Haud fulcrum exiguum quo constitit antè Papatus.

Verùm ingens aliud fulcrum, statua aurea, multis
Gemmarum ordinibus, ostroque instrata superbo,
Ad quam omnes populi genibus iacuerè minores
Ære Deum vt fuluo colerent, precibusque Mahosim

Unde illam dicunt contracto nomine Missam,
Hæc statua, hoc inquam fulcrum sublime Papatus,
Quo neque maius erat quicquam, neque firminus vllum,
Terribili aspectu supra mortalibus instans

Ne struere auderent aciem, aut obtendere contra,
Diuinum assimulans nomen, numenque verendum,
Hoc igitur nondum conuersum à sedibus imis,
Truncum parte sui, demtos lugebat honores,

Cum properè auxilio rebus venit Eccius ardens,
Apponensque manus recidiua palatia in auras
Erigere optabat magnis conatibus, ac vi.

Nam dum staret adhuc indeiectumque maneret
Fundamen Missæ: quippe illo stante volebat
Pontificum imperium, veteresque reducere cultus:
Ni contrà ingressus diuina voce Melanthon

Vertissetque

PARENTALIA.

Vertissetque dolos radicitus, impiaque imis
Sedibus, & normæ Fidei contraria tandem
Fundamenta ruens dicto vicisset in vno:
Ritus enim, veri que vsus expertia signa,
Nulla representant rerum monumenta sacrarum.
Sic tandem euersum est cultus fundamen inanis
Aurato in vitulo, sed enim quæ magnus Helias
Fundamenta prius intacta, infractaque liquit.

Huius opus, quod erat nodis resoluta malignis
Doctrinæ ratio, rectoque ita corpore constat.
Ipsius ex folijs, & quæ monumenta peregit
Noctem addens operi, tot longo ex ordine docti
Emersere viri, iuuenum quot millia quondam
Troiano dicuntur equo prodisse sub auras.
Nemo illum ingenio conatus vincere, nemo,
At sua eum virtus vincens, cœlestibus ipsis
Effecitque parem, celsoque inuexit Olympo.
O vtinam huic tantum tali iam tempore acerbo
Maiores pia fata moras in luce dedissent,
Non ita turbatæ res, non ita tempora rerum
Mæstitiam præ se ferrent, miseramque ruinam.
Ille animos poterat moderando inflectere paci,
Qui nostrum genus, & partes defendere suetus
Prouexit bonus ante Duces, huiusque vigeat
Consilij regnum, & stabat res integra ludi.

O parcam immitte nobis: quia subtrahit orbi
Astrum, quo sacra clarebant hætenus artes,
Desuetumque diu rursus assumserè nitorem.

Sed

PARENTALIA.

Sed rursus mitem Parcā: quia reddit Olympo
Astrum, quò fuerat missum mortalibus agris
Luce sua lustrare artes, & commoda vitæ.

Tempus erit fors, cùm illius virtutis egébunt,
Nec iam vltra ingrati mutato numine habebunt
Dilectum Musis caput, & cælestibus ipsis.

Nos stetimus contra, atque oculis aspeximus ipsum
Vitam exhalantem media inter vota, precesque,

O socij, ô nati, ô nostri plena laboris
Atria docta valete, & vos mea cara valete

Pignora, cara mihi dum fata, Deusque sinebant.

Dixerat, & fessum mutans latus, instar odori
Germinis, arato quod tactum à vomere languet,

Cervicem inflexam posuit, supremaque Parcæ

Fila legunt, pressoque volat sacer halitus ore

Cælicolæ medium quem protinus exceperunt

Corporis exutum vinculis, & mole solutum.

Testis erit magnis virtutibus Albidos vnda,

Et passim mundi partes diffundet in omnes.

Non illi quisquã scriptis se impunè disertis

Contulit, ingenioque parem, vel munere fandi.

Testes vos ripæ Albiacæ, vos atria testes,

Vosque Duces illum in dubijs responsa petentes,

Quantum præmatura viri mors abstulit orbi.

O nimis optato seclorum tempore natus

Sancte pater salve, tua terris fama manebit

Si pia posteritas modò, si monumenta supersint

Vlla piæ gentis, Sed cælo deinde relicta est

Gratia,

PARENTALIA.

Gratia, mortali quam non fas soluere dextra,
Nam quid mortales diuina ad facta rependant?

Quare agite ô post fata viri quicumque relictî,
Coniuncti studio, atque animis concordibus acti,
Vos monumenta viri seros transmittite ad annos,
Et quo quisque potest studio, in commune laboret.
Sic qui sæpè hominum sanctos inuisere cætus
Suetus erat satus ipse Deo, colludere gaudens,
Dignatusque ab eis contingi lumine claro,
Non etiam his aberit studijs, sanctoque labori,
Et paruū hunc nidū, sed Christo habitante sub illo
Sat magnū hunc nidum, volucris Deus agmine cir-
Obteget, ignitoque tuebitur aggere gentem. (cum

Ergo & tempus erit quo te diuine Melanthon
Conueniam rursum, dextræque iniungere dextram
Fas erit, inque humeros procul inuolitare, piasque
Accipere, atque pias iterum tibi reddere voces,
Cum Vatem excipient Vates tua turba Melanthon
Tecum carminibus Christum super astra ferentes,
Tum mihi, tum lacrymæ incipient manare per ora
Lætitia, & magnum gestu testabor amorem
O quæ tum voces vtrinque, & gaudia vtrinque
Imbutis tandem recti fine, atque beati?

Sed nunc parta quies tibi, nobis tristia restant
Tēpora, nos lacrymæque manent, superandaq; votis
Fata Deūm: salue æternūm diuine Melanthon,
Æternūmque vale nobis diuine Melanthon.

F I N I S.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Light Blue	Light Cyan	Light Green	Light Yellow	Light Red	Light Magenta	White	Light Gray	Black
Dark Blue	Dark Cyan	Dark Green	Dark Yellow	Dark Red	Dark Magenta	White	Dark Gray	Black



ORIS

D A.

E
1111.
1111.

